
Medicinae
tam
simplicisa.
L
XL







MEDICINAE tā ſimplices quàm

COMPOSITÆ, AD OMNES FERmè corporis humani præter naturam affectus, ex Hippocrate, Galeno, Auicenna, Aegineta, & álijs: per GEORGIVM PICTORIVM Villinganum, Doctorem medicum, ordine ſic alphabetico in unum conſcriptæ, ut uel citra puluerem, exin quiſq; id quod concupiuerit ſtatim conſequatur.

Cum Arnoldi Catalani, de conferentibus & nocentibus membris principalibus humani corporis, tractatus Appendice, lectu cuilibet rationali medico digniſsima.

ACCESSIT

ΖΩΟΤΡΟΦΕΙΟΝ *ſiue Leporarium, animalium quadrup. & auium naturas ac proprietates continens: Eodem autore. Unà cum Conſtantini Africani eiuſdem argumenti libello: & Oppiani de piſcibus tractatu, Scholijs Georgij Pictorij illuſtrato.*

Index quoq; omnium memorabilium copioſus.

BASILEÆ.

ILLUSTRI BARONI AC DOMINO, DOMINO IOanni Georgio Pomgartnero ab Pomgarten, Domino in Hohenschuuangen, Erenbach & Kirnberg, sacræ Cæsareæ Maiestatis consiliario, Domino suo clementi,

GEORGIVS PICTORIVS Villinganus Doctor medicus S D.

TAM uirulentū hoc nostrum est seculum, Baro illustris, et Mecœnas ter maxime, ut nihil, tametsi palmarium sit, & cedro dignum, in publicū prodeat, in quod non, ad famā alterius derogandum, nasutiores toxicum spirēt, & dentem sic infigant sordidum, ut quæq; ab ijs conuulnerata radicitus exarescant, aut pereant. Quo factum est, Heros amplissime, ut qui

ſcribere ſtatuiſſent edenda, regulos ſibi peculiares eligere conſultum arbitrarentur, qui patrocinio uelut Herculis claua, petulantes morſiculatorũ gannitus infringerent. Cùm ergo præſentem hanc artis Pæoniæ farraginem typis excudendam deliberatum haberem, à publica non deflectendum cenſui uia: ſed aliorũ more, huic quoq; pancratiaſten uel panurgum addendum uiſum eſt, qui liuidulorum in mea, ſeu potius in bonorum autorũ ſcripta uibrantes extunderet linguas. Aſt quia non è quouis ligno Mercurius fingitur, eligẽdo delectum feci: & ex multis optimis, te optimum, ad hanc prouinciam ſubeundã, Archimecœnatẽ elegi, & eligo bifariã. Primò, quòd nuper, quando nobiſcum fueras Enſishemij, ſic tua beneuolentia in tui nominis me pertraxiſti reuerentiã, atq; in tui candoris amorẽ, quòd indubitãter te Veneris ceſtũ habere crediderim, ſeu diuinã quandã uirgulam,
qua

qua omnium te ſpectantiũ oculos ſic faſcinare queas, ſic ligare, ut conſeſtim te uenerentur, admirentur, & ita ſummo proſequantur amore, ut nihil æquè gratum æſtiment quàm tua perfrui dulciſsima familiaritate. Secundò, quòd nouerim ſaltẽ huic conuenire defenſionis orcheſtræ uirum, quem ſua eò uſq; euexit accumulata uirtus, ut abſolutiſsimus undiq;, & ex tetragono conſtans ſingulis habeatur. Talem autem te eſſe, (adulari nolo) uel id argumẽti in teſtẽ uoco, quòd ſumma diui Cæſaris FERDINANDI maieſtas, ſolers in rebus principalibus tractandis, te conſultore fruitur, te legatum ad exteras nationes mittit: & ſic ob oculos ponit, ut quiſq; mẽtis capax, cunctа naturæ primigenia, (uelut recta ualetudo ſunt, ſenſus integri, & totius corporis partium iuſta quædam ſymmetria) omnium rerum parentem in te fuſiſsimè elargitũ crediderit. Abſit quòd regulatæ uitæ artem

commemorem, quam in te ex ſum-
ma prudentia, præcelſa eruditione,
& animi ſupercœleſti fœcunditate,
cum maximis fortunæ affluentijs pẽ
dentem nouimus. Hos ergo meos
labores, certè Cleantheos, ex opti-
mis quibuſuis autoribus in unũ col-
lectos, tuo patrocinio datos & de-
dicatos, ulnis rogo (quod aiunt)
obuijs accipe, Heros ter maxime, pa
trocinio foue, defende, & ſi per oci-
um datur lege. Damnabunt procul-
dubio me Ariſtarchi naſutiores, ut
qui temerario auſu leuioribus tuam
Celſitudinem ineptijs obſtrependo
læſerim. Sed οὐ φροντὶς ἱπποκλείδῃ. Nã
ex animo tuo eluceſcentẽ uirtutem
& cãdorem, ſolatium oppono: quæ
indicant, quòd nõ tam muneris am-
plitudinem ſpectas, quàm egregiam
contribuentis uoluntatem. Vale er
go maximus Nobilitatis honos, &
mutuo amore Pictorium proſeque-
re: qui non ſolum has Medicinales
donat farragines, ſed ſe ipſum totũ,
ut

ut sibi nihil reliqui faciat. Datũ Ensishemij, superioris Alsatiæ: Anno Virginei partus sesquimillesimo sexagesimo.

AVTORVM NOMINA, QVOrum Marte has compleuimus lucubrationes, hæc sunt.

Aegineta
Aesculapius
Aetius
Aggregator
Alex. Benedic.
Alex. Iatros
Alex. Trallia.
Albertus Mag.
Apollon. Græcus
Aristoteles
Archigenes
Auicenna
Auenzoar
Baptista Sardus
Cardanus
Cœlius Aurelia.
Cornelius Celsus
Consiliator
Cornel. Agrippa
Columella
Constantinus
Damascenus
Dinus Florent.
Diogenes

Dioſcorides
Galenus
Gerardus
Gentilis
Gilbertus Ang.
Hippocrates
Iaſon Pratenſis
Iacob. de Part.
Iſac
Kirandus
L. Apuleius
Legius
Manardus
Math. de Gradi
Marbodeus
Meſue
Montegnana
Plinius
Q. Serenus
Rhaſes
Rolandus
Rufus
Sauonerol.
Serapio
Sinaticus
Stockerus
Varignana
Valeſcus.

AD

AD OMNES CORPORIS HVMANI PRAETER NATURAM AFFECTUS MEDICINÆ TAM SIMPLICES QUÀM COMPOSITÆ, ALPHABETICO ORDINE IN UNUM CONSCRIPTÆ

AD ABORTVM.

Abortum curantia.

ABORTVS, exitus embryonis est, ante tempus natura constitutum. Cui medentur ex simplicibus à uirtute specifoca, Sexto Placito referente, os de corde cerui collo suspensum: dens septennis pueri auro exceptus, & coxæ alligatus: cancri saxatiles aridi, uel recentes hausti: uermes qui in gramine reperiuntur, tamen ut sub partu detrahantur, Alex. Benedicto monẽte: spolium serpentis, cum mica panis exhibitum: coagulum leporis: lapis qui in saburra ceruæ reperitur imprægnatæ: aëtites lapis, Marbodeo teste: lapis Aegyptiacus, Topasius, Iaspis rubeus, ut Montegnana docet, Adamas Sauonerolæ placet: Saphirus, Hyacinthus, Turcois, Corallus rubeus, & Corneolus Gaainerio. Ex cõpositis, diamargaritõ laudatur ab Auicenna, uigesima prima tertij cap. de Regim. prægnant. scriptũ Philoniũ Persicũ, Mithridatis cõfectio, & herinaciorũ cinis cũ oleo inunctus.

Acores quæ abigunt

ACHORAM, paſsionem in capitis cute, cũ paucis foraminibus factá, ex quibus humor effluit (quem græci ichoram uocant, ut Alexand. Iatros libro 1, cap.19. Galenus acorem nominat, de facile acquiſibil. cap.12. Serapio Sahaphati, tract. 1. cap 3.) curant, lutũ quod chymolea dicitur, terra Cretenſis, tutia, Merdaſengi, climia argenti, carthæ combuſtæ, Serapione referente. Vrinam hominis Dioſcorides laudat, 2 libro, cap. 73. Et illa compoſita, præmiſſo pſilotro: Cataplaſma ex folijs ſalicis et lẽte in aqua coctis: uel capitis inũctio ex ſulphure, parietaria & ſapõe: ſeu Enchriſta ex lithargyri ℥ ij s, calcis uiuæ ℥ j, aceti hemina 1. olei myrtini ℥ iiij. quæ ſimul fricentur pro linimento. Alex. Iat. lib. 1. cap. 20. Galenus tale ſcribit: Recipe lithargyri ℥ viij. foliorum rutæ ℥ j. ſtaphiſagriæ ℥ s. uitrioli ʒ ij. cum aceto & oleo myrtino linimentum fiat.

Aduſtioni ignis quæ conferant.

ADVSTIONEM ignis ex ſimplicibus ſe. citoniorũ curat, muſcilago corticis tiliæ, muſcilago ſe. pſilij, cucurbitæ folia, ut Kirandus docet: & leporis pili uſtulati, ut Raſes: folia ſiclæ in oleo roſato macerata. Galen. 8 ſimplicis medici. pini corticem tradit, cap. 53. Montegnana unguentum ponit, quod habet olei roſati ℥ ij, omphacini ℥ j s, ceræ albæ ℥ s. quæ diſſoluta ter in aquá proijciantur, ut denuò ceruſæ excipiant ℥ v j. thuris, ſar-

ſarcocollæ ana ℨj. calcis pręparatæ, & croci ana ℨ s lithargyri ℨ ij .ut fiat unguentum. Et aliud ualde modicum, quod recipit olei roſati ℥ ij. uitellorum oui numero VI. agitentur bene. tamen fortius eſſe dicit, ſi croci grana addantur ſex. Vel ſic: olei roſati ℥ iij. boli arme. ℨ I. excipiant, quæ uſtioni cum pecia adponantur. Defenſiuũ idem ponit, quod recipit boli armeni, terræ ſignatæ, ſang. draconis ana ℥ j. olei roſati q. ſ. cum guttis aliquot boni aceti. Dinus Florentinus quoq; aliud habet. recipit enim ceruſæ lotæ ℥ ij s. lithargyri ℥ s. ceræ albæ ℥ iij s. olei roſ. ℥ j. quæ liqueſiant ad ignem, cum albo oui bene malaxato. Et aliud, quod habet calcis præparatæ ℥ j s. ceræ ℥ j. olei roſat. ℥ s ſucci cauliũ, & ſiclæ, ana ℥ j. Varignana mumiam in oleo roſato diſſolutam commendat. Et florem uolubilis maioris, oleo roſato & ceræ additum, & oleum coctum in radice aſſodilli: Auicenna 2 cano. & Galen. 8 ſimpli. cap. 49, radicem lilij cœleſtis in oleo roſato coctam ualde laudant.

Aduſtioni ex ſole.

ADVSTIONI ex ſole omphacinum laudatur oleum, ſeu medulla ex pede cerui. Aetius aquam commendat, in qua in æreo uaſe lupini per triduum ſint macerati, & denuò cocti, ut facies inde ſæpius abluatur.

Aduſtos humeros expurgant.

ADVSTOS humores expurgat fumus terræ, epithymus, aqua lactis, lapis ſtellatus,

lapis

lapis armenius, syrupus de fumo terræ, de uiolis, de epithymo. Et ex compositis confectionem Hamech primas tenere, Mesue scribit: aut pillulas de lapide lazuli, uel de lapide armenio, seu fumo terræ, descriptione Auic. septima quarti cap. de cura scabiei.

Alopeciam curant.

ΑΛΩΠΕΚΙΑΝ, quæ mutatio criniũ est in candorem, qui radicitùs excidunt, & hominem deformant, Galeno dicẽte Definition. medic. libro, titymallus curat, ut Varignana ait. Auicenna gummi rutæ syluestris probat, 2 canon. Rases caput canis incineratũ, Galenus cinerẽ radicis asphodilli, ad Patern. cap. 32. Kirandus arsenicum & absinthium: Plinius allij cinerem, lib. 20 cap. 6. & betam eodem libro, cap. 8. atque erucam cap. 13 & 22. rutam & cepe Dioscor. lib. 3, cap. 47. Ex combinatis, murem incineratum, & adipi ursino immixtum, utilem prędicant: uel cantharides melli incorporatas, aut spumam maris oleo inditam, seu ranam ustulatam pici inuolutam liquidæ: item muris stercus aceto permixtum, & lupanariam bucyro iunctam: quæ omnia fermè Galenus recenset libro de facilè acquisibilibus cap. 9. Varignana infallibile scribit, si recipias succi lapatij maioris, & olei cyathum unum, quibus addas ceræ uirgineæ ℥ iij, & thuris masculi ℥ j, ut linimentum fiat.

Algolæ pharmaca.

ALGOLAE, quæ ulcus in lingua est, & oris

oris cute, uelut Auic. docet tertio cano. fen. 6. cap. 23, remedio ſunt ſumach, ſe. portulacæ, lentes excorticatæ, ſpodium, ſandalum album, folia alcamnæ, balauſtiæ, cinis hirundinis uſtulatæ, radix cyperi, piretrum, maſticatio altheæ, bugloſſa, granatorum cortices: Serap. tract. 2 cap. 15.

Alluginem tollunt

ALBVGO, ſeu albedo, ueſtigiū eſt quod poſt ulceris curationem remanet: Raſes inquit ad Almanſ. 9 cap. 18. Hanc uerisſimè curandam ſcribit Galenus per flores ieſemini, libro 6 ſimplic. Kirandus per ſuccum branchæ urſinæ, per lac endiuiæ, & acori liquorem: Raſes per lumbricos, qui in corpore reperiuntur hominis mortui. Et alij quidam, per ſtercus pueri recenter nati ſiccatū: aut per menſtruū uirginis, ſpermati uiri iunctum, & oculis additum. Varignana cinerē oſtreorum, & raphani aquam extollit. Plinius 24 libro chameleam, cap. 15: & inulam, 20 cap. 5. centaurium minus lib, 25 cap. 12: ac ungulam aſini in alcohol redactam, lib. 28, cap. 11. Gerardus, aquam deſtillationis roriſmarini, æſtatis tempore per quadriduum in terra macerati, hyemis in fimo, commendat. Sed Matthęus de Gradi hoc collyrium uelut domeſticum ponit, quod recipit, Zuccari candi & ſpumæ maris ana ʒ 15, ut puluis ſit oculis inſufflandus. Qui & hoc laudat, ut mellis recipias optimi ℥ vj. ſtercoris hirundinum

dinum ℥ s. eufragiæ, acori, recentiũ anã ℥ j s. & sublimationẽ facias cũ uino, quá uitro in clusam usui retineas. Alexáder Iatros theodoricó magnũ singulare putat, lib. 1 cap. 101.

Ad aluum astrictam. ALVVM astrictam soluunt, cibebæ absq; arillis, saccarum impurum, oleum amygdalarum dulcium, lactuca uberior comesta, malua, beta, cicorion, lapsana in cibo sumpta, asparagi, nasturtium cum aqua potum, attriplex, se. sinapis, marrubium, passulæ, ficus aridæ, pruna damascena, centum capita, ficus cũ hysopo, melopepones, aqua mulsa recens, mora Celsi, cerasa dulcia, terebinthina, agni casti semen, cortex tiliæ, mercurialis cum melle & sale, psilium cum aqua mulsa, absinthium, se. polygonij largius sumptum: fel lupi cum elaterio umbilico alligatum, ac caprinum cum melle & sale, capræ fel cum ciclaminis succo, fel tauri cum absinthio, hirundinis fimus adiecto melle, ius galli ueteris, & poly podium. Alex. Bened. lib. 19. cap. 33.

Aluum mouendam. ALVVM nimium solutam impediũt lactuca modicè comesta, porrum bis coctum, semper iure mutato: hordei puls tosti, alica, cydonia immatura, mespila, sorba, lac amygdalarum, oriza cum lacte, lens dempto cortice, fabæ sub cinere tostæ, uel aceto coctæ, assa omnia, mastix, pira, nux muscata, castanearum cortices, balaustiæ, glandium cupulæ,

pulæ: Syrupus de piris, de citonijs, ſyrupus acetoſus de citonijs, micleta, diacitoniten uacuo ſtomacho, & conſerua roſarũ antiq.

Ad albaras.

ALBARAS, quæ ſunt ſpecies morfeæ albæ, fermè incurabilis, pro remedio ſulphur admittunt, ſquinantum, cortices citri, lapidem lazuli, margaritas, lapidem pyritidem, folia mandragoræ, & ameos ſemen.

Ani rhagadias curant

ANI rhagadias, hoc eſt ſciſſuras in ano factas, ſi à cauſa calida ſint, ceruſa curat, cum oui candido, oleo uiolato & camphora. Si à frigore, & malum recens eſt, medulla cruris uaccæ ſeu cerui, cera & oleo uiolato addito. Alex. Bene. lib. 21 cap. 24. anetum & ſemen eius, parui piſciculi in alcohol redacti. cinis cancrorum aduſtorum, pomum in aqua decoctum, ſemen lini, fœnugreci, malua, adeps anſerinus, licium, amurca, caprifici cinis, fel taurinum, folia uiolæ luteæ, plumbum uſtum, pinguedo caudæ ueruecinæ, adeps anatis. Syluaticus cadmiæ farinam cum alba cera pro ſecreto habet, Meſue tuciam per urinam infantis præparatam, Varignana auripigmentum cum felle taurino & melle paratum: Kirandus cerebrum anſeris cum adipe ſuo, uino & oleo diſſolutum: qui & fimum canis combuſtum, cum oleo mixtum roſato extollit. alij terebinthum, myrrham & ſpumam argenti cum ueteri oleo primas habere teſtãtur. Quidam oleum amygdal. dulcium,

oleum

oleum uiolarum. Iacobus de Partib. oleum lini alijs præponit.

Pro ani mollifica.

ANI mollificationem, id est ani paralysim, ut egestiones non retineat, tina sanat, quæ fit per decoctum sauinæ, costi, nucis cypressi, spicæ, squinanti, saluiæ, acori, calamenti, stichados, absinthij, cupularum glandium, causa existente frigida. Nam si calida sit, balaustiæ sufficiunt, rosæ, myrtilli, rosarum calices, & calamintha. Sauonerola causis singulis unguentum adaptat. primum enim oleum recipit de spica, de castoreo, de euforbio, cum nucibus cypressi, & cera q. s. Secundum uerò, oleum de absinthio, myrtinum, rosaceum, cum spica, anthera, & cera, ut unguentum fia.

Ad ani egreßionē.

ANI egressionem ea tollūt. primò utatur tina patiens anodina: hinc linimēto ex oleo camomelino, rosaceo, anetino, & cera: cui addat, membro prius illito, istud Rhasis alcohol, quod recipit balaustiarum, rosarum, gallarum, bistortæ, myrti, absinthij, cupularum glandium, aluminis zuccarini & cerusæ, & sic membrum loco suo reponat. Huius alcohol uices gerit puluis ex cornu cerui usto, antimonio, acacia, corticibus & folijs quercus, corticibus pini, sanguine draconis, corticib. thuris, alumine de rocha, & plumbo usto.

Ad ani tumorem.

ANI tumorem sedat anagallis, Dioscoride teste

de teſte lib.1,cap.168.& Serapione aggregat. cap. 155. & linimentũ ex oleo roſaceo, amygdal. dulcium, & uitello oui factum.

ANHELITVM facilitat capillus ueneris, Auic. 2 cano. cap. 194, Crocus, ibidem cap. 130,& praſsium 556. Ex compoſitis, ſyrupus de iſopo, ſyrup. de praſsio, loch ſanum, loch ad aſma, loch de pino, diapraſsium Nicolai, diapenidion, diairis Salo. diaſulphur Meſuæ, confectio de muſco, & aromaticum nardinum.

Quæ anhelitum facilitant.

APPETITVM reparant, ex ſimplicibus uinum abſinthij, Dioſcor. lib.5, cap.36. Capres Galeno placent,2 alimentorum,cap. 33. & poma bene matura,per hiemem in uer uſque reſeruata,& ſtatim poſt cibum cocta exhibita, eodem libro cap. 21.Et oliuæ cap. 26. Meſue aromaticum roſatũ in precio habet, & diagalangam. Galenus diacalamentum, 4.de regimine ſanit. alij conditum de myrobalanis chebulis, miuam cidoniorum cum ſpeciebus, acetum ſquilliticum,confectionẽ alkekengi, trociſcos de galla muſcata, conditũ de citro Meſuæ, trociſcos de abſinthio: aut uinum pomorũ deſcriptione Alexand. Benedicti, quod recipit muſti albi Rhetici congros quatuor, in quod reponantur poma matura dempto cortice uiginti, totidẽq; cydonia mala eodem modo parata, meſpila quinquaginta, croci ℥ j: quæ omnia ſimul

Appetitum reparant.

 ferue-

feruefiant uel ſponte, uel cocta, ut defrutum fiat ad diurnum uſum. Quod tamen potentius habetur, ſi chalybs ignitus in eo extinctus fuerit. Alex. lib. 11 cap. 13. ubi & id ad manus offert: Recipe aceti boni in quo per noctem & diem cytonia macerata fuerint, & cocta: cui adde coriandri prępar. cinamomi, cardemo. gariofili ana ℥ s, & ad uſum in uitro ſerua.

Ad appetit. caninum.

APPETITUM caninum infringere narrant, Riſum cum pinguibus cibarijs. Et omnia oleagina Rhaſes commendat. Hippocrates uinum in copia exhibendum monet, lib. 2 aph. 21. Meſue pulueris deſcriptionem offert, qui recipit cupularum glandiũ ʒ ij. aniſi ʒ iij. myrræ ʒ ij. myrobal. emblicorum, belliricor. ana ʒ vj. ſcorię ferri in aceto infuſæ & exſiccatæ ℥ j. cardemo. maioris, cubebarum ana ʒ iij. tabarzet q. ſ. Huius doſis eſt ʒ j s, cũ aqua deſtillat. anthos uacuo ſtomacho.

Ad gutturis apoſtemata.

APOSTEMATIBUS gutturis conuenit emplaſtrum ex nido hirundinis, albo græco, & ficubus ſiccis, cum oleo uiolarum facto, ſeu cum butiro, quod Galenus diaphoreticæ uirtutis eſſe ſcribit, Simpl. lib. 10. cap. 5. Kirandus hirundines & pullos ſuos in ollá perlutari iubet, ut in furno pulueriſandæ cõburantur, ut cum melle emplaſtrũ reddát. Ex hirundinib. præfato modo Valeſcus puluerem faciendum, & in guttur inſuffládum docet.

docet. Fimum caninum in hac re Galenus palmarium arbitratur, lib. ſimp. 10, cap. 13, & ſcabioſæ ſuccum omnibus meliorem dicit, etiam phlebotomia neglecta. Varignana em plaſtrum ex elaterio probat diſſoluto, cum oleo & felle tauri. Et aliud ex ſtercore infan tis ſiccato, & cũ melle incorporato. Foliorũ mori ſuccus item ualet gargariſatus. Et nidus hirundinis cum aqua ſolatri diſſolutus. Et bdellium per ſaliuam hominis ieiuni. Et caſsia extracta, & cum aqua ſolatri gargariſata. Ac confectio de ſuccis nucum, uel dianucum.

Ad apoſtemã frigida.

APOSTEMATIBVS frigidis cõmoda ſunt, ſerpentaria minor, abrotanum, radix ſpinæ albæ, ſpongia marina, althea, lappago, antimonium, aſpergula, ben, fœnugræcum & galbanum.

Ad apoſtemata calida.

APOSTEMATIBVS calidis arnogloſſus ualet, attriplex, cucurbita, ſe. lini, acacia, bleta, alcanna, mellilotum, camomilla, ſaponaria, calcantum, papauer, endiuia ſylueſtris, caulis, camphora: Auic. 2 can. cap. 134. cicorium, ſolatrum, oleum roſaceum, uiolarum, cucurbitinum, & cerotum ſandalinum.

Ad oculorũ apoſtemata.

APOSTEMATA oculorũ calida aſphodillus curat, iringus, ſanguis columbæ, gũmi arabicũ, aloe: Gale. lib. 6 ſimp. cap. 23. ſarco colla, eſopus humida. Auic. 2 can. cap. 366.

Apostemat. aurium.

APOSTEMATIBVS aurium, uel attritionibus remedio habentur, muſcillagines limaciarum, ſi terantur cum cortice, & adhibeantur parotidi, farina lupinorum amarorum. item, ſi coquantur cũ oximellite, ſtercus bouis uel capræ cum melle: Gale. de facile acquiſibili. cap. 10. & emplaſtrũ ex ſtercore ouis factum, cum anſeris uel gallinæ adipe, Rhaſis teſtimonio: qui ſanguinẽ quoq; muſtelæ laudat, poſt aures inunctum, aut cinerem ex muſtela combuſtum, cum cera & oleo lilino permixtum. In corporibus delicatis mulierum & puerorum, ſaltem butyri ſufficit inunctio, aut olei amygd. amararum, uel de chryſomillis, ſeu perſicorũ, aut de beẽ.

Apoſtemat. teſticul.

APOSTEMATIBVS teſticulorum confert farina fabarũ cũ uino emplaſtrata, Auic. 2 cano. tract. 2 cap. 245. & Gale. lib. 7 ſimp. cap. 57. qui & hoc emplaſtrum habet. Recipe farinæ ciceris partes duas, altheę partem unam. terantur cum aceto, & liniantur ſuper apoſtema: libro ſecretorum, cap. 42. & idem lib. 6. ſimpl. cap. 134. Lapidem oſtraciten idem commendat 9 ſimpl. cap. 16. Rhaſes emplaſtrum ordinat ex carnibus limaciarum tritis, cum farina hordei ac puluere molendini. Et Alexan. Benedi. uult, ut ſuperemplaſtretur ammoniacũ, & bdelliũ cũ modico farinæ fabarum, & oleo q. ſ. lib. 24 cap. 26.

Apoſtemata mamil.

APOSTEMATA mamillarum ex coagulatione

latione lactis, lenticula in aqua marina decocta, & emplaſtrata, fęliciter curat. Item emplaſtrum ex farina fabarum, cum ſucco hordei, Gale.7 ſimpli. cap. 57. Emplaſtrum ex albo græco, cum albo oui, eſt ſingulare. Varignana mirabile opinatur ad hoc in mamillis diſſoluendum, coagulum leporis diſſolutum cum aceto: tract. 9 cap. 2. Enulæ folia trita, & ſuperpoſita: ſeu ſtercus colũbarum, optimũ Cõſtantinus cenſet libro 3.de morb. curand. cap.15. Auicenna riſum pulueriſatum cum oleo uiolato, gummi draganto, & uitellis ouorum, ualde probat.

Apoplecticis quæ cõferãt.

APOPLEXIA morbus eſt obſtupidæ mentis & intellectus, cum inſenſibilitate & concuſsione corporis. ſic Galenus libro definition. medic. cui Hiera Rufini prodeſt, ut Rhaſes ſcribit: & balanus ex nitro, caſtoreo & ſcammonio, ac ſternutamentũ ex pipere, caſtoreo, condiſi, helleboro albo & maiorana. Item Theodoricon, & potio ſancti Pauli cũ uino decoctionis caſtorei & piretri. Simphorianus pillulas laudat ex oloe, euphorbio & ſucco porri. Archigeni placet, ut corpus proſtrati aloe calido perungatur: caput roſaceo, in quo ſerpillum & caſtoreum decocta: atq; os melicrato deducatur, & oleo ciperino. Iaſoni libro de cerebri morbis cap. 27, ieroglodion, Auicennæ 2. canone radix peoniæ, ſi ex ea deglutiatur ʒ j. Alexan. Be

ned. sæpius capiti infundendum monet decoctum olei & aceti, cum semine psilij, coriand. prepa. & se. plantag. lib. 1 cap. 35.

Apthis curandis.

ΑΦΘΑΙ, id est in labris scissura, curari petunt per porrum, uitem albam, & aloen. Galenus lib. 6 simp. cap. 23. ac per auriũ sordẽ.

Ad stomachi ardorẽ.

ARDORE stomachi molestatis, Archigenes aquam frigidam sorbendam suadet, maximè si in eo mordicationem habeant, uel animi deliquium cũ calore nimio, & fastidio. Vel omfacis succum, id est succum uuæ acerbæ, aut mali citonij decoctionem, seu cucumeris domestici semen, cum frigida: aut de persicis immaturis succũ decoctũ, uel lactucæ albæ semen. Alexand. Iatros catapotias exhibet, quæ recipiunt liquiritiæ ℥ s. seminis cucumeris domestici ʒ vj. se. andranguis, id est portulacæ ʒ ij. albumen oui q. s. ut pillulæ fiant in sole siccandæ, & sub linguam necessitatis hora ponendæ. Idem aliàs: Recipe succi liquiritiæ ʒ vj, se. cucumeris ℥ s, draganti ʒ ij. omnia teres, & cum albo oui pillulæ bichichiarum instar formentur: lib. 2 cap. 31. Aliàs communiter utimur liquiritia, & succo eius, granis olibani, nucleis cerasorum, draganto in aqua rosata dissoluto, amygdalis non excorticatis. Pane cum agresta, lacte item, creta, & ciceribus albis. Iacob. de Partibus cõposita ad manus tradit, quæ sequuntur: Electuarium de persicis, cõfect. diaprunis,

nis, iulep rosarum, syrupum de persicis, trociscos de camphora, trociscos de sandalis, & suffuff diarhodon.

Ad urinæ ardorem.

ARDORI urinæ ea subueniunt. Recipe muscillaginis seminis altheę, se. lini, ana ℥ j, olei amygdalarum dulcium, uiolarum, ana ℥ j s. ceræ alb. q. s. & fiat unguentum pro renibus. Vel utere lacte amygdalato, in quo dissolutum sit gummi arabicum: aut dulci uino cũ aqua decoctionis liquiritiæ: uel aqua consolidæ minoris, seu plantaginis: aut phisticis, seu amygdalis, seminibus maioribus bene zuccaratis, uel casia extracta: aut bolo ex terebinthina ter lota, cum zuccaro candi, quidam oleum de quatuor seminibus maioribus in usu habent.

Pro arteticis.

ARTETICIS usualia habentur ellebo-rus, ius galli antiqui, aqua fabarum, psilium, asphaltum cum nitro, mandragora, hermodactylus, agaricus, pentaphylon, turbit, gummi hederæ, oleum nucis Indicæ, benedicta simplex descript. Nicolai, diaius Mesuę cum melle, oleum de auellanis, oleũ uulpinum, oleum de lapide gagatis, oleum philosophorum, & oleum de ranis.

Vermes interficiunt.

ASCARIDES tenues lumbrici sunt, qui in parte potissimum inferiore crassi intestini gignuntur. Gale. 3 aph. 26. sed hic pro omni lumbricorũ specie ponuntur. Hos interimunt hæc simplicia: absinthiũ Romanum,

quod Auicenna Sceam uocat 2 canone. Centaurium elixatū, Ægineta lib.4.cap.58. persici folia, Gale.simpl.lib.7.cap.105. Calamenthum, 7 simp.1. cardamomum, cap. 91 semen cauliū, cap.46. Filix, lib.8. cap.59. Gitt, 7 cap.95. abrotanū, lib. ad Patern. cap.33. coriandrum, ibidem cap.66. Farina lupinorū, 282. Isopus, cap.293. Alliū, Auic. 2 cano. Carduus benedicta, senecion: tragopogonos, id est barba hirci: enula campana: ruta Dio-sco.lib.3. cap.47. & pulegiū, Plin.lib.20.cap. 14. Ex compositis, catapotia ex aloe, abrotano & melle, aloe & fel tauri cum absinthio super umbilicum, melanthium cum rosaceo aut seriphio decoctum, item cataplasma per omenlysin, hoc est ordei farinam, ptereon, absinthium, farinam lupinorū, sandonicum, balaustium, & acaciam. balanus quoque ex melle, nitro & cētaurio. Item tyriaca Andromachi: quę omnia Manardus habet tertio et quarto Epistolarum libris.

Asmati quae utilia.

ASMATI, hoc est ægritudini pulmonis, in qua patiens non habet excusationem ab anhelitu frequenti, Auicenna definitore fen decima tertij canonis, hæc utilia sunt: isopus alhas. & montana, agaricus, lapis stellatus, al fescebra Mesue scribente: althea, rhacoma, ut Plinius libris 20. cap.1. & 27. cap.12. aristolog. rotunda & longa Dioscoridi commendantur, li.3. cap.41. Æsculapio centauriū maius

ius & minus, ſtrutium album, & melanthiũ. Auicenna crocum ſummam medicinarum pro aſmaticis nominat, 2 canone. Symphorianus lacti amygdalato, ouis ſorbilibus, & ficubus pinguibus primas tradit. Aliquibus ſequentia placent: abrothanum, lacca, arnogloſſa, terebinthina, ſulphur, enula campana, praſsium, fœnugræcum, ius galli ueteris, lapis chryſolithus, lapis lazuli, matris ſilua, cancrorum fluuialium decoctum, & pulmo uulpis. præfatus Symphorianus cõpoſitum ordinat, quod recipit ſucci cauliũ, mellis clari ana. lib. 5. quæ decoquantur ſemper deſpumando: ut addatur ſucco cõſumpto, pulmonis uulpis ℥ s. & loh fiat, cuius doſim limitat, ut mane & ueſperi per horá ante cœnam deglutiantur ℥ iij. Athanaſiá multi laudant magná, loh de pino alij, loh ad aſma: aut ſyrupum de iſopo, praſsio & calamento. complures de agarico pillulas, cum philoſophorum oleo.

Oris aſperitati. ASPERITATI oris uſnea prodeſt, hepatica & menta: Baptiſta Sardo referente.

Gutturis aſperitati. ASPERITATI gutturis ſquilla ualet in melle bullita, Auicenna monente: & loh ex melle & auripigmento. Sanguis ericij potatus, ouium ſorbile, Galeno referẽte. Dragantum quoq;, myrrha, ſe. cydonij, amilum, ceraſum, diatragagãtum frigidum Nicolai, ſuccus liquiritiæ, uiola, ſemperuiua, manna, o-

leum de chrysomilis & amygdal. dulcium.

Ad aurium tinnitum.

AVRIVM tinnitum seu murmur Apollonius aceto tepefacto & melle Attico curãdum docet, uel porri succo cum mulieris lacte, seu ebuli succo, ut Varignanę placet. Alexander cucumeris erratici liquorẽ probat, & collocintidos oleum. Cuminum quoq; bene tritum, & cum oleo, melle, & medulla cruris uituli incorporatum, & auri impositum. Anserinum adipem quidam laudant, aut terebinthum cum melle & rutæ succo. Dioscorides storacẽ libro primo: Gale. de facile acquisibil. adipẽ uulpis, & aloe hepaticũ cum uino & melle, tepido modo instillãdum ait. Aggregator cuminũ, rutam, anetum & git, in oleo & aceto cocta, & tepida infundenda suadet, lib. 2. cap. 14. Medicamen Simphoriani optimũ habetur, quod recipit succi porri, succi maioranæ, succi rutæ, ana ℥ s. castorei ℈ j. moschi granũ j. quæ omnia tepefiãt, & imponantur.

Ad aurium uermes.

AVRIVM uermes, Celsus ait albo ueratro cum aceto eijciendos, aut elutione in qua marrubium coctum sit. Nam sic uermes in primam auris partem eliciendos arbitratur Celsus, lib. 6 cap. 7. Ægineta absinthij, & centaurij, uel porri decocto proscribendos monet: aut foliorum capparis recentium, seu fructus eiusdem cremore, uel liquore, cedrio, & humana urina peruetusta: lib. 3 cap. 23. Apollonius

23. Apollonius Græcus calamenti ſuccum ponit,& ſcammonium ex aceto. Cóſtan. ſuccum foliorum perſici,& oleũ de perſicis, lib. de morb. curand.2, cap.12. Canabi ſuccus Alexandro ſecretum habetur, lib.3. & Galeno ſulphur uiuum,cum aceto & melle: lib. de facilibus acquiſitu.

Ad aures ſaniosas.

AVRIBVS ſanioſis Aggregator 2 libro 14 capite, liquoris tres uel duas guttas infundendas ait,per horam ante cœnam diebus alternis: qui recipit aquę mellis ℥ iij. aloes, thuris, ana ℈ ij. myrrhæ ℈ s. Galeno ꝓbatiſsimũ iudicatur, ſcoria quæuis in aceto cocta & infuſa: de ſimpl. medic. lib. 10. cap. 27. Succum centinodiæ idem probat 8 ſimpli. cap. 60. Aliquibus placet, ut fel taurinum cum lacte caprino, uel lacte mulieris inſtilletur.

Aurium dolori.

AVRIVM dolori iſthæc remedio ſunt: abſinthium, asfodillus, mellilotum, paritaria, alumen, aniſum, lappago, arnogloſſa, oleum de Ben, raſura cucurbitæ, urina tauri, ſpuma auri, oleum ſcarabeorum, hyoſquiamus, bleta, catapotia, papauer, oleum chryſomillarũ, folia hederæ, collocynthis, ſalix, porrũ, menta, uirga paſtoris, diptamũ, ſuccus praſij, telum araneę, centumnodia, peucedanum, ſuccus granatorum, crocus, fel tauri, mumia, oleum ſcorpionum, adeps anſeris & uulpis, ſuccus rutæ, lumbrici terreſtres, & oleum de perſicis.

B.

Bili atræ quæ conueniant.

BILI atrę ſubueniũt electuariũ hamech, hieraglodion, ſyrupus de epithymo, pillulæ de lapide lazuli, pillulæ indi, de fumo terræ, decoctio epithymi, diamuſcũ, diamargarithon, diaphiris, diaſene, lapis armenus, lapis lazuli, ſerum caprinum, folia ſene, myrabaloni indi & nigri.

Ad branchũ conferentia.

BRANCHO, qui eſt faucium læſio ex catharro, Gale. 7 libro miamir cap. 1, ualet millefolium, arnogloſſa, conſolida minor, cyminum & paritaria.

Ad ramicẽ.

BVBONOCELEN, quam Paulus ramicem inguinalem interpretatur, ſequentia curant. Recipe mali punici corticum ℥ x, gallæ immaturæ ℥ v. in uini auſteri cyathis ternis omnibus coctis, ut loco læſo ſuperponantur. Vel utere tali adglutinatiuo, quod recipit ſymphyti radices, marrubij cremoris, amygdalarum amararum, gummi, æquis portionibus. Ægineta tertio libro, cap. 53.

C.

Ad capillorum caſum.

CAPILLORVM caſum prohibent radix celſi, & oſſa dactylorũ ſimul uſta, pulueriſata, & cum ſucco myrti inuncta. Nam & myrti ſuccus per ſe illitus quoq; iuuat. Item lilia uſta, & cum aqua mixta ualent: & radix cannæ cum oleo myrtino. Hæc Conſtantinus lib. 1. de morbis curand. cap. 2. Cortices auellanarum incorporatas cũ melle

le myrti Damaſcenus laudat. Alexander Iatros laudanum diſſoluendum in oleo lentiſcino, & uino myrtino, ut unctio fiat, optimū arbitratur, lib.1.cap. 7. Cui adſtipulatur Gale.7.ſimp.cap.7. & ad Patern. cap.153.à Meſuæ laudatur oleum coſtinum, Plinio adianton placet lib.22 cap.21.

Capillis multiplicandis.

CAPILLOS multiplicandos, decoctio ex capillo ueneris iuuat, & naſturtij quoq;. Alexander Iatros hoc unguentum mirabile dicit: & recipit ſtoracis, laudani, propoleos, id eſt ceræ albæ, maſticis, politrici ana ℥ j. olei boni ℥ ij, Auicennæ 2. canone myrtus placet.

Ad barbæ capillos.

CAPILLOS barbę multiplicat inunctio ex oleo de ſtichados. Et hoc cōpoſitū, quod recipit papaueris nigri, foliorum myrti, capilli ueneris, ſpicæ nardi, ciperi, ſeminis appij, cypreſsi ana ℥ j. quæ omnia coquātur in libris tribus olei myrtini, in duplici uaſe, cū magna quantitate aquæ ad conſumptionem eiuſdem, & remanentiæ addatur corticum pini, & laudani pulueris, ana modicum, & fiat inunctio manè & ſerò.

Ad canos nigrandos.

CANOS nigrandum, recipe gallas oleo coctas, tere, & uelut cataplaſma capiti adpone. Idem operātur acacia, emblicus, æs uſtū, cortices nucum, aqua decoctionis gallarum, mora, & grana cameactis : Auicenna libro 2 cap.502.

CAPIL-

Capillos colorand.

CAPILLOS nigros in aureum colorem mutandos. Recipe fecis uini combustę, cum oleo blauino, quantum uis, & unge capillos. Paulus libro 3 cap. 3. Idem faciunt hederę corymbi triti & illiti, si in cortice mali punici ex oleo myrtino feruefiant. Alexander Bened. lib. 30. Et meláthium cum lentiſcino oleo. Pli. lib. 23. cap. 2.

Capilli puerorum ad quæ.

CAPILLVS puerorum, qui primùm decisus eſt, podagrę impetus dicitur leuare, circumligatus: & in totum curare impubium, impoſitus, Pli. lib. 28. cap. 4.

Capilli uirorum.

CAPILLVS uirorũ, canis morſibus medetur ex aceto, & capitũ uulneribus ex oleo & uino. Plin. lib. 28, capite ut ſuprà.

Capilli ne canescant.

CAPILLOS canos prohibent, cucurbita ſylueſtris, ſi perforetur, & ab interioribus euacuetur, impleaturque oleo laurino, cum hyoſquiamo non trito, & ſemel in anno ex tali oleo inungantur. Gale. libro de Facile acquiſibil. cap. 27. Vermium quoq; terreſtrium cinerẽ exhibuiſſe, admixto oleo, præſentiſsimum eſſe Plinius ſcribit lib. 30, cap. 14.

Ad capitis furfur.

CAPITIS furfura, quę ſunt ſquamę albę, grani furſuribus ſimilimę, farina ciceris cum ſucco betæ, ſi inde liniantur, curat: & maluæ ſuccus cum aceto. Serapio aggregationum libro cap. 76. Item fœnugræcum coctum in aqua, & furfur frumenti per diem & noctem in aqua maceratum, ut expreſſũ pro lixiuio habea-

habeatur. Conſtātinus fel tauri, arietis & capræ cum uitro, caput ualde mundificare docet, de morb. curand. cap. 5

CAPITIS pediculos interimunt, folia pini piſta & expreſſa, ut cum ſucco caput inungatur. Et argentum uiuum cum cinere filtri, aceto & oleo pro unguento. Vel argentum uiuum & lithargyrum cum aceto & oleo tēperatum. Staphiſagria itidem facit cum nitro, auripigmento rubeo & oleo. Item acetū cum aqua marina: quæ ſi pręſto non ſit, aquā dulcem ſalitam facias. Conſtantinus.

Pediculos quæ necant.

CAPITIS dolori qui à cauſa emergit calida, medicabimur caſsia extracta, iuiubis, prunis, uiolis, manna, myrobalanis citrinis, ſyrupo uiolato, acetoſo, mali granati ſucco: papauere quoq;, ſi uigilię adſint, & oleo roſaceo cum aceto ſeu uiolato, aut portulacę uel cucurbitæ ſucco. atque Conſtantino aſſerente, inungenda eſt capitis prora oleo roſato, cum ſucco pſilij, ſandalis albis, roſa, camphora & hordeo. Dioſcorides fronti & tēporib. adponendū appium iubet, oleo roſaceo diſſolutum: lib. 1. cap. 44. Quidam optimum iudicant, ſi folia & capreoli uitis bene piſtata, ut ſuccū reddant, illinantur, aut ſi trifolij herbas emplaſtremus. Dioſcoridi uinum mellititis placet, lib. 5. cap. 7.

Si caput doleat à cauſa cal.

CAPITIS dolori ex frigore, hiera fortiſsima Galeni occurrimus, uomitum elicientes

Si caput doleat à frigore.

cum oximellite de radicibus, & collutionibus ex hiera, ſinapi, pyretro, & oxymelite: caputq; lauamus cum aqua ubi coctum ſit anetũ, ros marinus uel ſambucus & camomilla, caput inungimus amygdalis amaris & cucurbita amara, item oleo ſambucino, nardino, camomelino, muſtelino, & rutateo. Imponimus itẽ emplaſtrũ ex gummi arabico, myrrha, euphorbio & croco orientali. Hamech pennas upupæ capiti alligandas ſuadet, quòd dolorem occulta quadam proprietate abigant. Kirandus cornu arietinum dextrum, dextri lateris dolorẽ, ſi ex eo pecten fiat, curare ait: & ſiniſtrũ, ſi cornu de ſiniſtro dempſeris. qui & omnem ſodam, hemicraneam, & ſcotomiam propellendas teſtatur, appenſo capiti uulpis membro.

Capiti inflato. CAPITIS inflationi, in quo conſtrictus eſt ſanguis, multum prodeſt fex uini nõ aduſta: Auicenna ſcribente, ſecundo canone, capite 246.

Capitis dolori à ſole. CAPITIS dolorem qui à ſolis prouenit calore, inunctio curat ex oleo roſato, frigida aqua & aceto. Tamen ſi uehemens fuerit calor, & ardor magnus, ſimiliter inunctio fiat roſato oleo, ſed portulacæ addito ſucco, cucurbitæ & ſemperuiuæ: poteturq; æſtuans ſyrupo uiolato, mali granati ſucco, atque pedes aquæ calidæ imponantur.

Capitis dolori ex aere. CAPITIS dolori ex frigore aeris, decoctum

ctum ſubuenit calidũ, aneti, roriſmarini, meliloti: & capitis inũctio ex oleo nardino, uel ſambucino. Conſtant.

CAPITIS ſyriaſi, quæ eſt partium circa cerebrum, eiusq; membranas inflammatio, medetur hoc ex oui luteo cum roſaceo compoſitum, ſyncipiti aut caluariæ pigmenti ſpecie ſuperimpoſitũ, ſic ut aſsidua renouatione mutetur. Et hoc Paulinum, quod recipit heliotropij, Græcis ſcorpiuron dicti, folia: cucurbitæ ramenta, cucumeris atq; peponũ adiacentẽ pelliculam, ſolani hortenſis cum roſaceo cremorẽ, cranio adhibendum. Ægineta lib.1. cap. 12. Alexand. Iatros chimoleã, quæ eſt terræ ſpecies, aquæ infundendam iubet, cum ſucco bletæ, ut inde caput lauetur: qui & ſalmuriam, id eſt aquam carnium ſalitarum, pro lotione commendat, lib.1. cap.15. Ex allegatione Iſac, Ariſtoteles ſequẽs commendat, quod recipit ſalis fuliginis, olei oliuæ, picis liquidæ ana. partes æquales, terantur ut fiat unguentum.

Capitis ſyriaſi.

CAPITIS diſpoſitiones doloroſæ reſpuunt quæ ſequuntur: nam caput lædunt. ſemen agni caſti, ſuccus abſinthij, uſus glandium quercinarum, oliuæ nigræ, orobus, lentiſci fructus, hederæ extremitates, peucedanum, ciclamin. Galenus lib.2. meminit, cap.16. Sorbitionem lactis Hippocrates adponit, Oribaſius mora celſi addit, mora rubi,

Quæ caput lædant.

bi, canabi semẽ, radices meum, dactylos, eru cam, fœnugræcum, se. lini, & omnia fœtida: libro de confect. ciborum ʒ.

Quæ cardiacæ mendentur. CARDIACAM subleuat hoc pigmenti genus: Recipe olei amygdalini dul. butyri, adipis caponis, & misce. Et hoc: Recipe olei liliacei. camomelini, & butyri, ut linimentum fiat, patiens aquam consolidæ regalis bibat cum saccaro, & diarhodone abatis Nicolai, ac diamargaritone utatur. uel hoc ecligmate: Recipe conseruę rosarum ℥j s. speciērum cordialiũ ʒj s. electuarij de gemmis frigid. ℈ ij s. diamargaritonis ℈ ij, cũ syrupo boraginato & bugloss. fiat electuarium molle.

Calculosis utilia. CALCVLOSIS ista simplicia conueniunt, quæ à uirtute, ut multum, operantur oculta: lapis Iudaicus, lapis limaciarum, oculi cancrorum, lapis uesicæ, lapis spongiæ, ossa dactylorum, lapis gagates, karabe album, testę ouorum ex quibus recenter pulli sunt exclusi, lucij piscis mandibula, saltus leporis, rasura ossis hominis mortui, sanguis incineratus hirci, scorpiones ustulati, puluis ex lepore incinerato, hepar assatum asini, motacilla incinerata, puluis ex uesica porci, puluis de pellic. stomach. gallinarum, oleum scorpionis, oleum lumbricorum terrest. præparat. aqua bethonicæ, alkekengi, urticę, appij. Sed quæ à uirtute operantur manifesta, fermè hęc sunt: amygdala amara, grana cerasorum,

persici

perſici grana, bethonica, capilli ueneris, parietaria, pentaphyllon, ſcolopédrium, azarum, petroſelinum, & fœniculum. Ambiguę uirtutis carpobalſamum eſt, xilobalſamum, ſe. canapi, milium ſolis, camepithis, fimus columbarum, ciceris rubei decoctum, oleum iuniperinum & terebinthina. Compoſitum Iuſtini, Auicennæ palmarium habetur: & iſtud quoque, ut in aqua decoquatur althea cũ butyro & melle, ſumāturq; decocti alternis diebus ℥ iij. Fen 18 tertij, tract. 2, cap. 19.

CARBVNCVLVS græcis ἄνθραξ, tumor eſt ex humore melancholico craſſo & feruēte enatus. hic curatur aſſa cum melle, nitro, & ruta, ſimul mixtis, & ſuperpoſitis. Item opoponaco cum paſſulis. Auicenna ficuũ medio curandum cenſet, 2 canone cap. 224. Alij certiſsimum arbitrantur, ut patienti in potu radix afferatur palmæ Chriſti: uel etiá oliuæ nigæ tritæ ſuperponātur, Varignana ex ſuis id familiare dicit, ut cinis cum oleo bulliatur, & emplaſtretur.

Quæ carboni cõueniāt.

CANCER morbus eſt atrobilarius, cum duricie & inflammatione, qui & καρκίνωμα uocatur. Hũc curandum cenſent, farina ciceris, & melle, emplaſtri modo. Dioſcorides decocto lupinorum lib. 2, cap. 101. Succum uitis albę Kirandus laudat: & ſcribit, quòd ſaltem iſtius medio linguam cancroſam melle accedente curauerit, Rhaſes ſanguinem leonis ſu

Ad cancrũ.

perfricandum iubet,& tragunthea succum. Mesuæ iuniperinum oleum cæteris præsentius credit, lib. de apostematibus Melantus cap.2.qui sic quoq; loco dolenti emplastrandum tradit: Recipe medullæ tritici, olibani, cerusæ de plumbo,ana ʒ j.terræ sigillatæ, boli armen.terrę sigillatæ,aloes abluti ana.ʒ iij. olei rosati q.s.Tutiam item præparatam laudat cum oleo rosato,& coriandrum, solatrũ, lentes cum aceto,& succum plantaginis.

Catarrho, medentur. Κάταῤῥον,hoc est defluxum à capite ad fauces,sistunt, si facies aut bregma oleo inungatur irino, uel si caput decocto rutæ cum laurino oleo madefiat: Oribasio teste. Aut si nigella panno illigata,frequẽter odoretur : Gale.lib.7 simp.cap.95 . Paulus caput aqua calida perfundendum monet:& non solum illinendum oleum irinum,sed & naribus instillandũ,quæ intus quoq; thure & myrrha,adiecto oleo,si ex frigida causa sit,tangẽdę sint. Nonnullisq;, inquit, nidores ex melanthio, aut cymino, crematis adhibẽdos placet:lib. 3,cap.28. Plinius brassicæ succum infundendum naribus suadet, ut cerebrum mundet: aut betæ nigræ liquoris ex radicibus dimidiũ coclear.Seu trifolium in aqua decoctũ, ut potum reddat:libro de re medica 1,cap.2. Vbi nec minoris arbitratur tale gargarisma: Recipe sinapis,se.rapæ,ana ℥ j. piperis,se. nasturcij,erucæ,origani,se.appij,ana ℥ j. quę omnia

mnia per triduum in aqua macerata, cũ aceto & melle gargarizentur. Auicenna fumum ex ſtorace liquida uſtulata, 2 canone ualde commendat, cap. 600. Et bolum armenũ Varignana optimum ad hanc rem iudicat, ſi cũ uino exhibeatur. Et illas quoq; pillulas laudat: Recipe ſtoracis, myrrhæ, opij, ana q. uis, & fac pillulas inſtar piperis, cũ melle deſpumato. Meſue pillulas bichichias, in ſuo de appropriatis, in capite Tuſsis, ſatis tutas ſcribit. Quidam hyemis tempore commiſſuræ coronali gariofilos pulueriſatos addunt, uel ſemẽ urticæ. Autumni ſeu ueris inſtantia, puluerẽ maceros uel anthos. Alij ſandaracam in aceto decoquendam committunt, ut per embotum ſuffumigatio in nares fiat: aut camphoram cum aqua roſata colluendam parát, ſeu diacodium exhibent, uel ſyrupum de papauere, aut dianucum, & pilulas contra catarrhum.

Ad caliginẽ oculorum.

CALIGINEM oculorum proſcindunt libanotis, & radicis eius ſuccus, illitus cũ melle: lactucę ſyluaticæ ſuccus, mali granati dulcis ſuccus, praſsij ſuccus cum melle. Hęc Oribaſius Curationum libro. Item cicorij flores in uitro cera ligati, & in nidum formicarum poſiti, ut in aquam maturentur, & linimentũ fiant: quod maioris habetur, ſi modicũ camphoræ accedat.

Ad canis rabid. morſ.

CANIS rabidi morſum ſic curato. Cine-

rem cum aceto distemperabis, & uice cataplasmatis impones: aut cepas tritas, ficus, aut amygdala amara, uel orobon cum pinguissimo melle, uel irin Illyricam etiam cum melle tritam: aut cancros ustulatos, & in cinerem redactos. In potu conuenit libanotidos pars una, gentianæ quinque, & uini q.s. ut potus fiat, quem patiens dietim bibat. hæc Oribasius. Rhases urinam hominis imponendam docet, & allium, Serapio puluerem hunc optimum dicit, qui recipit gentianæ pulueriżatæ partes quinq;, olibani partem unam, cineris cancrorũ adustorum ad pondus omnium, ut puluis fiat, cuius dosis est ʒ j dietim: Gale. libro Secretorum, cap. 64.

Cerebrũ cõfortantia.

CEREBRVM confortant, camomilla, xiloaloes: Auic. 2 can. cap. 7. sansucus, muscus: Serapio aggreg. lib. cap. 18. myrobalani bellirici et emblici: Mesuę rosmarinus, stichados, nux muscata, oleum muscatum, diamuscum dulce, aromaticum rosatum, diambra, diacastoreum, diapliris, galla muscata, cartarticũ imperiale, alipta muscata, pillulæ aureæ, assa iaret, & trocisci de bensui.

Choleram digerentia.

CHOLERAM digerũt in capite, syrupus nenupharinus, syrupus acetosus simplex: syrupus de endiuia, de uiolis, oxysaccara, syrup. de papauere: aqua endiuiæ, acetosæ, lupulorum, lactucæ, uiolarum & solatri,

CHO-

CHOLERAM digerunt in ſtomacho, ſyrupus acetoſus ſimplex, ſyrupus de endiuia, oxyſaccara, ſyrupus myrtinus, de citonijs, de roſis, miua citoniorum, de agreſta, de ſucco acetoſæ, de granatis, de biſancijs, aqua lupulorum, endiuiæ, lactucæ, cicorij, plantaginis, acetoſellæ, roſarum, uirgæ paſtoris, caudę equinæ, bugloſſæ & fœniculi.

Ad choleram in ſtomacho.

CHOLERAM euacuant, caſsia recenter extract. myrobalani citrini, lenitiuũ de manna, diaprunis ſimplex, aqua fructuũ, infuſio de ſuccis herbarum, decoctum mirobalanorum, cõfectio fumi terræ, ſcammoniũ: Gale. lib. de catartic. cap 4. Electuarium de pſilio, rheubarbarum, capillus ueneris, aqua infuſionis roſarum recẽtium, uiolæ, aqua lactis: Auic. 2. can. abſinthium, Meſuæ in libro ſimplicium. oxyſaccara Nicolai, pilulę aureæ, & pillulæ ſtomachicæ.

Choleram euacuant.

CORDIS debilitati conueniunt ex ſimplicibus, lignũ aloes, Auic. 2. cano. cap. 854. hyacinthus, ſmaragdus, bugloſſa, caſsia lignea, muſcus, pæonia, fiſtici, doronicum, zedoaria, meliſſa, grana tinctorũ, cinamomũ, carabe, been album & rubeum, ſericum crudum, gariophyli, acetum ſquilliticum, corallus, crocus, poma odorifera, lapis chryſopaſſus, granatus. Ex compoſitis, aromaticum roſatũ maius & minus, deſcriptione Gabrielis & Meſuæ: aromaticũ muſcatum, aromati

Ad cor debile.

cum gariofilatum, diambra, galla muſcata, alipta muſcata, citri conditi, pira condita, poma condita, perſica condita, electuarium de gemmis, conſerua roſarum, ſyrupus de pomis, rob ribes, ſyrupus de acetoſitate citri, ſyrupus de ſucco acetoſę, miua citoniorum, rob de piris, mirobalani emblici, bellirici, & electuarium Conſiliatoris, differentia 96.

Coitum augentia.

COITVM augent teſtes gallorum, amygdala, lingua auis, aniſum, been, carthamus, faba ægyptiaca, piper nigrum, caro anatis, nux Indica, ſerapinum, hermodactyli, aſſa fœtida, crocus, grana pini maioris, auellanæ, cepe. Galenus lib. 6. Simp. cap. 80. cicer, idem 6. ſimpl. cap. 134. Eruca, 2. aliment. cap. 51. ſemen napionis, 6. ſimplic. cap. 103. teſticulus canis, 8. ſimpli. 28. Ex compoſitis habẽtur, aromaticum nardinũ Meſuæ, & eiuſdem dia ſatyrion; oleum de formicis uolatilibus Nicolai. Galenus ſexto libro interiorum, uiſu, auditu & cogitatione libidinẽ excitari probat. Carnem ſcinci tam præſentem aiunt, ut ſibi bezoar lentium decoctionẽ habeat, cum ſemine lactucæ in aqua & melle. Plinius ueneris appetentiam ex xiphij radice in potu datæ fieri docet. Theophraſtus, ui alicuius herbæ quam nõ nominat, ſeptuagenum coitum oriri poſſe teſtatur. Plin. lib. 26, cap. 10, qui auiditatem coitus quoq; ex cibis poſſe fieri teſtatur, ut uiris ex eruca, & pecorib. ex

eſu

eſu ceparum. lib.10, cap.63. Iacobus de Partibus illa compoſita cæteris precioſiora æſtimat, quippe triferam ſarracenicam, triferam muſcatam, electuarium eleſcoph, triferam Galeni, & confectionem de zingibere.

Quæ coitũ impediant.

COITVS intemperantiam proſcindentia ab autoribus iſtæc recenſentur. Plinius ſalicis folia contrita & pota, ad hanc intentionem probat: & in totum quoq; auferre, ſi ſæpius ſumantur, ait. Cui agona non diſsimilẽ dicit, quoniam Athenienſium matronas in Theſmophorijs per eam caſtitatem ſubſternendo ſeruaſſe pateat: libro 24, cap.9. Et ſi mandragorę decocto perfundantur uerẽda, ceſſat uenus. Item lactucæ ſatiuæ ſemen tritum, & ex aqua potum, omnes turpitudinis affectus tollit. Et nymphea quoque in cibo ſumpta, eiuſdemq; radix genitalib. illita: ruta commanducata ſæpius, item uenerem ſiſtit. Et hippomaratri ſemen, cum modicè ſumitur: radix utriuſq; iridis in ſuccum redacta, uiros impotẽtes reddit. ſimilis eſt hedera nigra. Et cicutæ folia genitalibus illita, quoq; furorem tollunt. Et fimus muris illitus, idem operatur. Columbinus cum oleo & uino potus, ſimiliter; & ſpolium ſerpentis triduò cohibet. Et plumbi lamina renibus ſuperligata: anetum commeſtum, & radix eiuſdem. Alexand. Bened. 14. libro, dextrũ lupi teſtem tritum, & cum oleo roſato mulieris genitali

bus inditum, ueneris tediũ inducere scribit, cap.21. Topasius in annulo portatus, præfatis par operatur. & coriandrum, si ex eo quis drachmas ternas uel quaternas gustauerit. Genitalia quoq; aqua frigida macerata, furorem amittunt: agnus castus, & camphora, eundem item tollunt. Kirandus quadraginta formicas alatas cum asfodilli succo decoctas, in potu offerẽdas monet. Et Rhases uirgam tauri rubei exiccatam & tritam offerendam innuit. Galenus in libro secretorũ, cap. 39, huic in toto mundo nõ par esse docet ad hanc intentionem, quod recipit, sambuciarazachi, id est formicarum habentium alas mille, & fiat unguentum, quod per quatuordecim dies in sole reseruetur.

Aduersus colicam.

Κωλικὴ, quæ est integra intestinalis passio, in qua difficilis fit exitus eius quod egreditur per naturam (Auic.16.tertij) ista medentur. Alexander umbilicum infantis auro uel argento exceptum, & à collo suspẽsum, à colica immunẽ reddere posse docet. Et cucurbitulæ umbilico impositæ, hepar caprinum ustum, tritum, & cum uino exhibitum, idem commẽdat. Stercus lupi, quod neq; terram neq; aquam attigerit, lumbis alligatum similiter. Diogenes tale stercus ex aqua potandum monet. Quidam sequentia laudant: ius galli ueteris cum polypodio, epithymo, & aneto: saccarum Auicennæ placet, 2. canone, cap.

cap.757. Galenus coagulũ equi, 10. Simpli. cap.6. & euphorb. libro ad Paternianũ, cap. 93. Et alij mellilotum, arthemiſiam, altheam, camepithim, cyminum, naſturtium, carthamum, fimum cambinum, corium lupi, limaciarum ius, oppobalſamum, lapidem exacolitum, & ſpinam albam. Compoſita iſthæc in precio habentur: diaphœnicon Meſuę, electuariũ de baccis lauri à Rhaſi nono ad Almanſ. commẽdatur: electuarium indum maius & minus Meſuæ: pillulæ item aureæ Nicolai, Auenzoar tyriacam commendat. Galenus libro ſecretorum, cap.36, pillulas deſcribit, quarum duas cum aqua callida ante cibum ſumendas conſulit, quòd digeſtionem confortent, uentrem leniant, uentoſitates & dorſi cruciatus proſcribãt: quæ recipiũt myrobalanorũ citrinorum, nigrorum, maſticis, aniſi, ameos, ſe. apij, corticum tapſiæ alb. caſſiæ ligneæ medullæ, ſe. carthami, omniũ ana partem unam. ſalis indi partem ſemis, aloes ad pondus omnium, terantur in pollinem, & cum aqua ex folijs citri formentur pillulę. Rhaſes diuiſionum 39 capite, aliarum deſcriptionẽ habet, ſtatim dolorem ſoluentium, quæ recipiunt aloes ʒ x. ſcamonij ʒ ij s. collocynt. interio. ʒ iij & ℈ j. ſalis gemmæ ʒ ij. ſerapini, ſebran, ana ʒ iij. ſunt multũ fortes. & item aliarum quum dolor uehemens eſt, & caſum uirtutis ſuſpicamur, exhibendarum.

hæc

hæc recipiunt zinziberis, macropiperis, ſto-
racis liquidę, croci, ſe. hyoſquiami, ana partes
æquales. caſtorei, opij, ana partem ſemis. do-
ſis eſt ab aureo ſemis ad aureum integrum.
Vnguentum idem ponit in hac re, ut ipſe di-
cit, ualde potẽs, quod recipit olei rutacei ℥ x.
in quo diſſoluantur caſtorei ʒ ij. euphorbij
ʒ j. ut fiat linimentum. Symphorianus tale
enema tradit, ſi uentoſa ſit colica, fecib. quo-
que ſuppreſsis. Recipit enim oleorum aneti,
ſpicæ, ana ℥ iij. olei liliorum albo. ℥ iiij. uitel
la ouorum numero ij. miſce. Vel ſic: Recipe
olei camomeli ℥ v. aneti, liliorum alborum,
ſiſamini, ana ℥ iij. oui uitellum unum, miſce.
Vel, recipe decoctionis capitis caſtrati ℥ xij.
oleorum ſpicæ, liliorum, aneti, ſiſamini, ana
℥ iij. uitellum unum, ieræ picræ ℥ s. miſce.
Item, oleum de kerua ualet. Iera Hermetis,
electrum Indũ maius & minus, confectio de
dactylis & eleſcoph.

Cœliacis quæ conferant.

COELIACOS in communi ueteres ſcri
ptores eos appellauere, qui fluxum haberẽt
quemuis: inquit Alexand. Bened. lib. 20 cap.
38. Eos ſanant bulbi aphricani rubei, triti, &
per uinum ex candenti ferro calefactum, po
tui laborãtibus exhibiti. Et columbus in paſ-
ſo eo decoctus, ut oſſa à carnibus ſeparẽtur,
in cibo exhibitus: & oua quoq; in aceto ma-
cerata proſunt. Vngula item porcina combu
ſta, & in cinerem redacta, dehinc pridie in ui
no

no auſtero infuſa, utiliter bibitur. Cinis calidus cribratus etiam reſtringit. Leporis coagulũ ex uino uetuſtiſsimo diſſolutum, & tepefactum quoq; datur. iecur caprinum peruſtum, & leuiter tritum, uentriq; appoſitũ curat, baccæ quoq; oliuarum in uino cœliacis propinantur. Item membranę gallinarum toſtæ, & cum oleo & ſale tepefactæ, & datæ in cibo dolorem mulcẽt, palumbi in aceto cocti cœliacis in cibo dentur. Hęc Plinius de re medica lib. 2, cap. 26. Hippocrates braſsicam bis coctam cum ſale prodeſſe ſcribit, Alexander lutea ouorũ in aceto cocta uſui dicit. Et turdum inaſſatum cum myrti baccis, ſeu merulam, aut mel in quo apes ſint emortuæ. Itẽ glandis aridę farina cum lacte iuuat: & oriza quoq; cum lacte commanducata. Complures fabam Ægyptiam laũdant, hiacinthum, mali punici florem, myrtum, quercum, malũ cydonium, oleum maſticinum, cornu cerui, hippociſtim, licium, thuris corticem, gallá, molochiten, & ſpinam albam.

Cutis ſcabiem.

CVTIS ſcabiem ſauina tollit, ariſtologia, argentum uinum, aloe, alumen, urina, mezereon, naſturcium, nigella, ſulfur, coſtus linitus cum aqua & melle. Auic. 2 cano. cap. 165. caulis, elleborus, euphorbium, ſe. cucumeris: Gale. 8 ſimpli. cap. 92. ſcoria argẽti, aqua lactis, ſi materia adeſt aduſta, ſuccus uitis, cinis toſtarum limaciarum, ſolatrũ, auripigmẽ

tum,

tum, terebinthina, radix lapatij acuti, ebulus, lapis galactites, chrysolithus & scabiosa. Cóposita item, uelut de been oleum, de nucleis cerasorum, de granis citrangulorũ, aut oleũ almezereon.

Cornu ceruini uirtutes.

CORNV ceruini uirtutes hæ sunt: humores exsiccat, in collyrijs ponitur combustũ, dentes confirmat ex eo fricatos, puluerisatũ cum uino bibitum caducos sanat, menstrua & fluxũ uentris restringit, lũbricos perimit, & serpentes ustulatũ fugat. Constant. de animal. in cap. de ceruo.

Ad costam reducendã.

COSTAM ad interiora flexam sic reduxeris. Manus melle, uel terebinthina pice, uel uisco perunge, & supra locum ubi est infirmitas pone, ac statim eleua pluries, donec costa reducatur. facit & hoc apostolicon, si superponatur: Rolandus lib. 3. cap. 26.

D.

Dæmonum fuga.

DAEMONVM fuga est bethonica, arthemisia rubea, corallus rubeus, chrysolithus in brachio ligatus, magnes, Marbodeo teste: hippericon, uerbena, ruta, peruinca, filix & athanasia. Ex cópositis, oleũ de lapide Gagatis.

Dolorẽ dentium à caus. cal.

DENTIVM dolorem qui est à causa calida, sic curamus. Recipe radices tapsi barbat. alb. M. ij. ros. rub. ordei, sumach, ana p. j. tormentill. sem. hyosciami, ana ʒ ij. lactucæ, solatri, ana p. s. omnia decoquantur in aquæ pluuialis

uialis lib.iiij.& lib.s aceti, ad conſumptionẽ tertiæ partis. Auicen.2.cano.ſerpentis ſpoliũ in aceto coctum pharmacum optimum cenſet, cap.616.uel in oleo roſato ſemen hyoſciami decoquatur pro collutione. Galenus in libro de facile acquiſibilibus cap.58. oleũ lentiſcinum recens colluendum ſuadet, aut acetum decoctum cum radice alkekengi, uel ſe. hyoſciami aut polij, ſeu radice cucumeris agreſtis, uel myrtinis folijs. Et idem rutam in oxymelle bullitam extollit, cum aceto ſquillitico.

Ad dent. do lo. à frig.

DENTIVM dolorem qui eſt à cauſa frigida, curam9 piretro in uino decocto, ut collutio ſit: uel zinzibere & piretro in aceto de coctis, ſeu pipere & euphorbio cũ melle con tritis, aut aſſa fœtida cum ſemine ſinapi contuſa: uel piretro, zinzibero, pipere & ſtaphiſagria, ana, ut ad gingiuas dentifricium fiat: ſeu cum granis perſici & piperis, dentibus adponẽdis: aut ceparum ſemine, ſemine hyoſciami & porri ana, ut cum ſucco hyoſciami trociſci fiant, qui dentibus adponantur, uel cum ſandaraca ſe. hyoſciami, myrrha, zinzibere & piretro pro ſacculo ad dentem. Quidam pro ſecreto iſtud habent. Recipe radicum piretri, ligni guaiaci, piperis longi, ſe.hyoſquiami ana, decoquantur. Vel recipe rad. mandrag. ℥ s. ſandaracæ, myrrhæ, piretri ana ℈ j. bulliant in uino, ut collutio fiat.

DEN-

Ad dentium ſtuporem. DENTIVM hæmodiá, hoc eſt ſtuporem ab acidis uel auſteris cibis cauſatum, maſticatio portulacæ curat, ſeu caſei, uel ceræ aut amygdalarum, uel nucum auellanarum, ſeu baccarum lauri.

Ad dentes commotos. DENTES commotos ſeu uacillantes firmat decoctum quod recipit marrubij faſciculos tres, aquæ ſextarios itē tres, quæ ſimul coquantur ad tertias, ut gargariſma ſint mane & meridie, per tres ſeptimanas. Hinc per traiectorium fumum ex ſymphoniaca herba ſuper carbones uſtulata patiēs excipiat, qui gingiuas exſiccet, & humores malos extrahat. Vel recipe myrthi, cymarum rubi, corticum mali granati, ana faſciculum unum: quę omnia decoquens in aceto cum aqua, pro collutione utere. Ariſtologia item trita in puluerem & dentibus addita, dentes firmat. Hæc Plinius, de re medica lib. I. cap. 37. Cornelius Celſus ſtipticis utendum monet, ut gallis, acoro, biſtorta, corticum granatorum balauſtijs, cupularum glandium, roſis, alumine, licio & acacia.

Ad dention. infantum. DENTITIONEM infantium facilitant lac caprinum, & leporis cerebrum gingiuis illitum: delphini dentium cinis cum melle, eodē modo additus. Suffumigatio ex folijs hederæ ad gingiuas quoq; ualet. Et butyrū cum melle inunctum. Ab oculta uirtute dentes equi quoq; ualent, qui primò cadunt: & fortius,

fortius, si terram non tetigerint. Dentes itẽ caniculæ. Plinius libro præallegato, cap. 42.

DENTIFRICIVM ad dentes candidos faciendos. pumex combustus ualet, et tritus. Item corneolus, corallus rubeus, & conchylia marina sale repleta, combusta & trita. Et sepiæ testa trita, cribrata, & dentibus fricandum adhibita. Idem operantur sal gemmæ, cum pumice, uel cornu cerui ustum: aut lignum rorismarini ustum, cum spodio usto: seu testæ ouorum ustæ, cum corallio.

Dentifricia.

DENTES erosos aut cauos, se. hyosquiami cum storace per traiectorium in dentem suffumigatum curat, aut citran in dentem positum: Auic. 2 cano. cap. 164. Galenus zinziber huic simile arbitratur, piretrum, radicem titymalli, baccas lauri, & aristologiam: libro de facile acquisibilibus cap. 64. Alij olibanũ, myrrham, oppoponacũ & galbanum laudát.

Ad erosos dentes.

DEBILITATI stomachi conferunt spodium. Auic. 2 cano. cap. 647. Absinthiũ, cap. 2. spina alba, cap. 680. lignũ aloes, berberis, cardamomum: cap. 159. lutum armenum, caparis, cinamomum, coriandrum, myrtus, mẽtha, oleum de balsamo, calamentũ, fœnugręcum, piper, gentiana, gariofili, nux muscata, galanga, mastix, oleum citoniorum: Galen. de facil. acquisib. cap. 90.

Debilitati stomachi.

DIGESTIONEM cõfortant acorus conditus, diacalamẽtum, aromaticum rosatum

Digestionẽ confortantia.

Gabrielis, diatrion pipereon, diagalanga, aromaticum nardinum Mesuæ, species xiloaloes, cortices citri conditi, kebuli cōditi, diacitonitē cum speciebus, trocisci de rosis, diacinamomum Mesuæ, diaciminum eiusdem, diambra, acètum squilliticum, electuariū de pomis, isopus, crocus, sansuc9, casśia lignea, rheubarbarum, zedoaria & mastix.

Ad dysturiã.

Δυσουρίαν, id est difficultatem urinandi, seu stillicidiū, Alexandro scribente, hæc curant. Fomenta adhibeantur calida, cicerisq; acri porrigātur iuscula, & herinacei caro, petroselinum, appium, feniculum. Si febris non adsit, lac caprinum, seu asininum. Constantinus tyriacam maiorem laudat, athanasiam, dialaccam, electuarium Iustini, descriptione Nicolai. Alexand. Iatros lib. 2, cap. 193, herbā pæoniȩ in uino datam & melle, singularē arbitratur. Alij clystere exhibent in uirgam, cum lacte mulieris, aqua hordei, axungia anatis, uel oleo rosaceo, aut epithyma de cera, isopo, oleo nardino, malua, axungia anseris & gallinæ.

Ad dyspnœan.

DYSPNOEAN, quam Cœlius Aurelianus secundo libro, 7. cap. difficultatē spirandi interpretatur, ea remedio sunt, quæ sequūtur. Altheæ succus coctus & potus, elateriū, raphani semen tostum & tritum cum melle, allium coctum, uel cum lacte tritum, scilla tosta, nasturcij semē ex uino potum dulci, cum

origano:

origano: ſemen ſinapis tritũ, & in cibo ſumptum: bacharis radices coctæ & potæ, gallitricon decoctũ, rubeæ radix, trixago ex melle pota, peucedani ſuccus, centauriũ maius, lac aſininũ potum: uel porro ita decoctum, ut ſerum ex eo bibatur. Item fel urſinum in aqua, laxat ſpirandi meatus. Cocleę proſunt ſumptæ, ius gallinaceũ, caſtoreum cum exigua ammoniaci portione ex aceto & mulſa, ſandaracha cum terebinthina, galbanum, & decoctio calamenti. Auic. 2. cano. cap. 158.

Diabeten curant.

Διαβήτην, hoc eſt urinæ profluuiũ, ſeu impotentiam retinendi urinã, hoc Galenicum curat. Recipe ſpodij, xilobalſami, ſandalorũ, ſe. portulacæ, draganti, amyli, terahit, id eſt radicis rubeæ, berberis, ſe. endiuiæ, boli armeni, ana ℥ s. tabazet ℥ j. conficiatur puluis, qui cum geleniabin, hoc eſt melle roſato incorporetur, ut electuarium fiat. Eius doſis eſt quotidie ℥ j. Idem Galenus aquam hordei probat, extremitates uitium, cydonia, mala granata, ſummitates ſalicis, portulacam, uirgam paſtoris, & ſemperuiuã. Trociſcos Varignana utiles habet, quarum deſcriptio hæc eſt: Recipe achaciæ ʒ ij. roſarum rub. ſiccarum ʒ iij. balauſtiarũ ℥ s. gummi arabici ʒ j. dragant. ʒ ij. redigantur in puluerem, qui detur cum muſcillagine pſilij & aqua frigida. Ad idem emplaſtrum, recipe farinæ hordei, ſe. portulacæ, raſuræ cucur

bitæ, solatri, se. cucumeris, melonis: pulueri-
sata omnia, & cum oleo rosato & modico a-
ceti fiat emplastrum, quod frigidum appona
tur. Constantinus hisce seminibus curan-
dam monet: Recipe se. portulacæ, se. agni ca-
sti, lactucæ, rutæ, arnoglossæ, ana ℥ ij. pulueri
sa, & cum uino austero exhibe. Qui eandem
potentiam hyosciamo & rutæ quoq; adscri-
bit lib. de morb. curand. cap. 39.

Dysentericis quæ commoda.

DYSENTERIA intestinorum ulceratio
est, cum inflámatione, & excretione sangui-
nolenta. Gale. lib. definitio. medicarum, quæ
ita curatur. Bulbi triti cũ uino austero edan
tur, uel ozimum cum aqua cœlesti, aut cera
remissa in potione, seu succus pampinorum
per enema infundatur. Cydoniorũ item cru
dorum esus ualet, uel myrti semen in potu
haustũ. Aliquibus familiare est foliorũ myr-
ti exhibere decoctum in uino, aut puluerem
offerre ex floribus hederæ cum uino auste-
ro, seu rubi cimas eodẽ modo. muscum qui-
in tegulis nascitur, tritum, & cum uino pica
to, id est nigro haustum, singulare narrant,
quòd eadem hora uentrem claudat. id quod
æquè sit, si pini arboris corticem pulueriza-
tum & coctum in uino offeras. Semperuiuę
maioris succus cum uino oblatus, palmariũ
multis habetur: & fabæ tritæ, & in aceto acri
maceratæ, & ieiuno oblatæ. Et alia multa Pli
nius Secundus habet libro de re medica se-
cundo.

cundo, cap. 28. Lucius Apuleius herbæ proſerpinatę ſuccum cum aqua calida hauſtum, certiſsimæ curæ ſcribit, libro de uirtutibus herbarum, cap. 18. aut ſuccum nympheæ cum uino exhibitum, cap. 68. Si tamen cholera nimium dyſenteriam exaſperauerit, conſultum eſt (Conſtantinus inquit) ut demus infirmo omni die mane gummi arabici ʒ iij. cum ſyrupo myrtino, & aqua frigida: uel ʒ ij pſilij aſſati. Auic. rheubarbarū laudat, 2. canone, cap. 585. portulacam, ibidem cap. 543. ſanguinem draconis, 609. cornu cerui, 177. glandes, 286. fabas, 245. cydonia, 156. licium, 401. acaciam, cap. 3. olibanum, 530. xiloaloen, 854. coagulum leporis, 119. Et Galen. 10. Simpl. cap. 6. Dioſcorides coagulū equi, lib. 2. cap. 67. altheam, libro tertio, cap. 155. butyrum, 2. cap. 65. portulacā, 2. cap. 113. adipem caprinū, 2. cap. 68. quem & Galenus laudat libro Simpl. 11. cap. 3. limones quoq; cōmendat 7. Simpl. cap. 69. Et aquam decoctionis quercꝰ, lib. 6, cap. 116. ac flores rubi, lib. 6, cap. 75. florē mali granati, lib. ad Patern. cap. 200. Elilifagum, eodem lib. cap. 101. lapatium acutum, Simpl. 7, cap. 63. maceros 8, cap. 9. lentiſcum lib. 8, cap. 128. & pſilium lib. ad Patern. cap. 212. Auenzoar ſmaragdū appenſum ualde commendat. Plinius cucumeris anguini ſemen lib. 20, cap. 2. & ſe. paſtinacæ errat. lib. 20, cap. 5. Macirum idem remedio eſſe docet

lib.12,cap.8. Ex cōpositis,athanasiam magnam Mesuę probamus, & musam magnam eiusdem, micletam Nicolai, & unguentum abatissæ.

Ad digitos fissos.

DIGITIS fisſis,uel rimis laborantibus, hæc remedio Paulus esse scribit. Si liquida pix illinetur, aut cancri fluuialis testæ cinis, cum oleo,rimis prius perfricatis. aut si scylla interior cum oleo discocta, terebinthina admixta, unguentum dederit. Vel si caprinum seuum, ceram & oleū æquis portionibus in unguentum feceris. Et asphodeli radicis succus cum oleo coctus ualet.

Ad gutturis dolores.

DOLORIBVS gutturis prosunt dragantum,succus cucurbitæ,amylum,cerasum, liquiritia,uiolæ,manna,fœnugræcum, & storax liquida.

Ad pectoris dolores.

DOLORIBVS pectoris prasſium subuenit,aristologia,asfodillus, agaricus , abrotanum,bdellium,calamentum, nasturtiū, caulis,costus,iuniperus: Auic.2 cano.tapsus barbatus,se.urticæ,butyrum,grana balsami, trifolium,porrum,gentiana,uinum squilliticū.

Ad hepatis dolores.

DOLORIBVS hepatis medetur iringus,acorus,usnea,hepar adipis, cassia, lapis berillus,oleū de fisticis , pentaphylon,ireos, rheubarbarum,sandalum , gentiana cum uino bibita.Auic.2.cano.cap.288.

Doloribus renum.

DOLORI renum utilia sunt dragantum, agaricus,pes columbinus,urina asini, portulaca,

laca, bethonica, ſpica celtica, carui agreſte, rheubarbarum, cinamomum, uiolæ, ius galli ueteris, peucedanum, ſe. urticæ, caro ericij, lapis laſuli, amygdalæ amarę, liquiritia, caſsia lignea, petroſelinum, oleũ amygd. dul. Auic. 2 cano. cap. 533, asfodillus, Gale ad Patern. cap. 32.

DOLOREM ſtomachi tale cerotum ſedat. Recipe citonij triti ℥ iiij. aloes triti ℥ ij. maſticis ℥ j. dactylorum tritorum quinq;, olei camomelini ʒ vj. ceræ ℥ iij. & fiat cerotũ. Plin. de. morbor. cura. lib. 2. cap. 4. Vel recipe maſticis triti, hordei & frumenti farinam, & uinum uetus q. ſ. & in modum pultis adde corio, & dolenti ſtomacho applica. cap. 14. Vel recipe abſinthij triti, & cum oleo amygdalino malagma ſuper locum dolentem cõfice. Lucius Apuleius libro de uiribus herbarum cap. 12. Et hæc ſimplicia conferunt, agaricus, aloe, pellis ex ſtomacho gallinę, polium montanum, ciminum, caro limaciarũ, oppobalſamum, lapis alabaſtrites, lapis lyncis, corallus, & lana ſuccida.

Ad ſtomachi dolorẽ.

DOLOREM dorſi pillulæ fœtidæ curãt, & oleum euphorbij illitum, & nux Indica: Auic. 2 cano. cap. 509. & acori radix cum butyro, & aſparagi commanducati. rhododendron quoq; impoſitum, uel oppopanacis ſuccus, bdellium, inula, ammoniacũ, caſtoreũ, & euphorbium, omnia cum oleo de euphor

Ad dolorem dorſi.

bio ac costino, seu lilino.

Dolori capitis febricitantium.

DOLORI capitis febricitantium ea subueniunt, post cōuenientes euacuationes: oleum omphacinum illitum, uel rosaceum cū momento aceti, æstate quidem & febre æstuante frigidum, hyeme uerò et febre nō æstuante calidum. Nonnullos pulegium emplastri modo adhibitum à dolore leuauit. Neq; desunt, quibus igneo sensū existēte, psilium cum polenta temperatum auxilio fuit, aut ipsum per se in elixatione in uiscū redactum. Aloe præterea in eundem usum cum aceto utiliter illinitur, myrrha item, & ammoniacum, pari modo & crocomagma. Pulsatiles uerò dolores ruta & menta cum pane, rosaceoq; adiecto discutiunt. Ægineta libro 2, capite 44.

Ad matricis dolores.

DOLORIBVS matricis commodo sunt bdellium, scarabei, attriplex, decoctio agni casti, alcanna, usnea, acorus, si patiens sedeat in ea, pes columbinus, ammomū, fœnugræcum, oleum de amygdalis amaris, decoctio calami aromatici, laurus, trifoliū, oleum de balsamo, de cinamomo, de lilio, costus, galla supposita, opobalsamum, cortex mastici, lupinus, decoctio squinanti, rheubarbarum. Auic. 2. can. meu, pæonia, oleum de ruta, se. aneti, hiera Hermetis, pillulę de se. rapino, & cerotum hysopi Mesuæ.

Duriciei splenis.

DVRICIEI splenis auxilio est blacca bisantia,

ſantia, abſinthiũ, azarum, agnus caſtus, deco ctio fabarum, been, quando bibitur cum aceto: Auic. 2. cano. cap. 83. appium, ceterach, caperos, centaurium, panis porcinus, radix acori & brioniæ, tamariſcus, capreoli uitis nigræ, polypodium, ſpica celtica, radix lapatij, cum aceto, uitis alba, ſcolopẽdrium, rheu ponticum, armoniacum: Gale. 6 ſimp. cap. 35. fumus terræ, cortex cappa. 7 ſimp. cap. 7. nux muſcata, chamedrys: & 8 ſimp. 165. ſyrupꝰ de duabus radicibus, de Eupatorio, acetoſus cõ poſitus de pomis, à Meſue capite de melanchol. deſcriptus: ſyrupꝰ de cicorio, deſcript. Nicolai: & trociſci de capparibus.

Ad teſtes duros.

DVRICIEM teſticulorum lutum diſſoluit ex furno cum aceto, agnus caſtus, eruca, hyoſciamus, farina fabarum, geratina, ſtercus capræ cum melle.

Ad matricis duriciem.

DVRICIEI matricis diptamum prodeſt, fœnugræcum, oleum gabalinum: Dioſcor. libro I. crocus, oppopanax, radix ebuli, lilij medulla.

E

Ad elephan. remedia.

ΕΛΕΦΑΝΤΙΑΣΙΝ, lepræ ſpeciem ex humore melancholico aduſto ortam, qua corpus multis maculis ſquámiſq; induratum, ad modum cutis elephantis deformatur, græcis autoribus referentibus. Nã Auicenna, Rhaſ:s, & omnes Arabes, elephantiaſin aliter definiunt, & morbum eſſe pedũ

narrant, quando supra modum intumescũt. hanc cinis mustelæ, cum eiusdem sanguine mixtus & illitus curat: & radix sparagi aceto cocta, trita & imposita: & mentastri folia cõmanducata ualent, & cedri, illita. Bulbi item triti in aceto & sulphure medentur. Nitrum etiam ex melle & lacte bubulo tritum, faciẽ purgat, & erugat. Plin. lib. 2. de morb. curand. cap. 57. Cœlius Aurelianus aquas minerales de ferro commendat. Nos Lotheringiæ thermas, à plumbo Plumus nominatas. Quidam chymoleam terrá subassatam, & cum ordei polline nitriq; particula laudant, uel halcyonum cum pumice assato, aut sulphur uiuũ, uel sepiarum testas exustas cum nitro & pumice. Aut mediocriter lacessentia, præter cutis ulcerationem, ut myrobalani sunt, cũ aceto: aut uinum cum ammoniaci gutta, & alumine: libro suo Chrom. 4 cap. 1. Auicẽna palmariam facit linguam arietis, 2 can. cap. 439. Galenus calamentum, lib. 7 simp. cap. 1. qui præter calamentum, carnes quoq; echidnarum extollit, & serpentum. Kirandus mergi assati esum omnibus anteponit, & hamech confectionem.

Ebrietatem quæ prohib.

EBRIETATEM prohibentia, brassica sunt, Bethonica, amygdalę amarę, absinthiũ, cydonium, uinum granatorũ, unctuosa omnia, caro cum caulibus uel canabit & lentibus, Rob ribes post potũ, & acetositas citri, amygdalæ

amygdalæ ſalitæ, lẽtes ſalitæ, cappares & oli uæ. Inter acręPala iſtud ualet. Recipe cauliũ, ſe. nabathi, ciminum, amygdalas amaras excort. mentaſtrum, ſalem, abſinthium, rutam, & ameos: ex his omnibus tritis doſis eſt ʒ ij. cũ aqua frigida, uacuo ſtomacho. Rhaſes ad Alm. de re medic. lib. 5 cap. 74. Kirandus ſecundo libro eſum pulmonis maximè laudat. Auicenna prima tertij tract. 2, cap. 24 caules in precio habet, & hunc ſyrupum, ſi antequã bibẽdi apparatus aggrediatur, bibens ℥ j ſorbeat, cuius hæc eſt deſcriptio: Recipe ſucci alborum caulium, ſucci granatorũ, ana ℥ ij. aceti ℥ j. ferueant ebullitionibus aliquot, & fiat ſyrupus. Ariſtoteles præ alijs oleum oliuarum hauſtum laudat, tertia ſect. proble. 6. Columella abſinthium ante ſorbitionem factam extollit, Hippocrates id optimum arbitratur, ut ante bibitionem quis allium manducet lib. 4. de uictus ratio. morbor. acutorum. Horus Aſſyriæ rex puluerem hirundinis uſtulatæ & pulueriʒatæ cum myrrha in uino hauſtum ſingularem dicit. Dioſcorides Auicennę hallucinatur, & caules probat, alij dulcia optimum cenſent. Alexander Benedictus, ut quis abſtemiꝰ reddatur, per tres dies ouum ullulæ ſorbendum ſuadet, lib. 1. cap. 4.

Ebrius ſi capite doleat.

EBRIVS ſi capite doleat, ad frontem & tempora epithema applicet ex oleo roſato & amygdalis amaris factũ, ſeu caput oleo perfundat

fundat camomelino, aut teſtes uuido lintheolo ex aceto circumliget.

Ecthicis cō ducunt. ECTHICIS, id eſt conſumptis, caro teſtudinis ſalubris eſt, ſemē altheæ, lac aſininum & caprinū, cancer fluuialis, bolus armenus: Auic. 2. cano. Diarod. abbatis Nicol. Ius ex cancris decoctum, oleum amygdal. dulc. Confect. teſticulorum uulpis, loh ſanum, & paſtilli ex campho.

Empyema ſanant. Εμπύημα ſuppuratio thoracis eſt, in medio ſpacio inter pectus & pulmonem: cui ſuccurritur diapapauere: uel tali electuario, quod recipit, fœnugræci, liquiritiæ, ſe. lini aſſati, amygdali, praſsij, ana ℥ j. gummi dragāti, gummi arabici, ana ℥ j s. pirethri, corticū rad. lauri, ana ℥ s. mellis q. ſ. & fiat eclegma molle: da mane & ſerò cum ptiſana, in qua decocta ſit liquiritia: uel cū mellicrato, in quo cocta ſint hyſopus, iris & liquiritia.

Quæ embryonem educant. EMBRYONEM uel uiuū uel mortuum educunt, & ſecundinam quoq;, caſtoreum, caulis, porrum, oppoponacum, lapis aquilę, lapis galactites, ſuccinum, lac canis, oleum balſami: Auic. 2. canone. calamentū bibitum & impoſitum, Gale. Simpl. 7, cap. 1. filix, 8 eiuſdem cap. 69. radix mandrag. caſsia lignea, iringus, galbanū, aſpaltū, policaria maior & minor: 7. Simpl. 40. ſauina, 6. Simpl. cap. 86. & trociſci de myrrha.

Epilepſiæ remedia. EPILEPSIAM, quæ morbus eſt prohibens

bens

bens membra animata ab operationib. ſenſus & motus, eiectione non integra propter oppilationem: Auic. prima fen tertij tract. 5. cap. 8. ab occulta proprietate curant, pæonia ſecundũ omnem modum adminiſtrationis, ſi ea utamur effoſſa luna decreſcente, Gilberto referente: ſed potiſsimùm, ſi radices incidantur ſecundũ latum, & fiat corona ex ea, colloq; ſuſpendatur. Et lapis ſmaragdus, & corallus ſuſpenſus, Marbodeo teſte in ſua dactylotheca. Et ruta, quã Auiçenna præ alijs utilem dicit tam ab intra quàm ab extra, odorandum exhibita: 2. cano. cap. 579. Et apri ueſicam Gattinaria proficuã arbitratur, cum ſua urina ſiccatam, & in alcohol redactã: cuius doſis ſit quotidie coclear: qui cornu cerui quoq; commendat, & corium frontis aſini, caſtoreõ, aſſam fœtidam, lapidem hirundinis, qui eſt diuerſorũ colorum, ſi corio uituli includatur, et collo addatur. Item craniũ humani capitis conducit (Gerardo teſte) ita ut craneum maſculi maſculo, mulieris mulieri adaptetur. Galenus lib. 11. Simpl. med. cap. 13, oſſa hominis mortui ualde probat. Hepar aſini Siluaticus laudat, ariſtolog. rotundam, lapidem aquilæ, cotem, gagatẽ, coagula omnia, fel lupi, galbanum quod caducos reuiuiſcere facit. Auic. 2. cano. cap. 319. Et Dioſcorides lib. 3. cap. 88. Agaric9 Gale. ad Pamphi. cap. 2, et libro de Facile acquiſib. cap. 16. Item

aromaticum

aromaticum muſcatũ, confect. diateſſaron, diamuſ. dulcis Meſuæ, diacorum, hieroglodion ſecundum Auicennam, Iera Hermetis, trociſci de agarico Meſuæ, & pillulæ fœtidę, ſyrup. de ſtichados, acetum ſquillit. oximel compoſitum, unguentum de bdellio, oleum de piperibus, oleũ de lap. gagatis, & oleum philoſophorum.

Incubum quæ curent.

Εφιάλτην hoc eſt inſultorem, quãdo quis ſe putat grandi mole noctu opprimi, quidã incubũ dixere. Auic. prima tertij, curant caſtoreum, ueratrum nigrum præparat. Et robuſtioribus Alexand. inquit ſcamonium cum aniſo, dauco & petroſelino confert. Item iera Rufini, & ſemina pæonię quina ſuo tempore decerpta, trita & ex aqua pota continuis diebus. Recentiores euphorbium cum ſcamonio in uſu habent, & aſphodelum Nicander ſubminiſtrauit.

Ad eructuationem.

ERVCTVATIONEM tollẽdam, quam græci ὀξυρεγμίαν uocant, à mala cõcoctione ue niẽtem, hos trochiſcos Rhaſes tradit, qui recipiunt, caſtorei, myrrhæ, caſsiæ ligneæ, terræ ſigillat. cortic. radic. mandragoræ, ana ℥ s. croci, coſti, piperis, ana ʒ s. aniſi, fœniculi, appij, ſemi. keiri, ſiſeleos, hyoſciami albi, ſtoracis, ana ʒ s. terãtur omnia ſicca, & gummi in uino diſſoluãtur, & trociſci fiant, quorum doſis ſit ℥ j. Et alios idem ponit in cauſa calida: Recipe roſarum rubearum tritarum ʒ x.

ſpicæ

spicæ aromaticæ, masticis, ana ℥ j s. fiant tro
cisci, dosis ℥ ij: Rhases ad Almans. in antidot.
lib. 1, cap. 35. Confert item masticatio thuris,
& cymini, & diatrion pipereon, ac zinzibum
conditum, si causa frigida fuerit: Rhas. ad Al-
mans. lib. diuision. 1, cap. 61.

Ad crustas in naribus.

Εσχάρας narium, hoc est narium crustas, cu
ramus humectantibus oleis ut est uiolatum,
cera addita & gallinaceo adipe, præmisso per
aliquot dies fomento in nares ex aqua cali-
da, cui mollientia & humectãtia sint incocta.
Et crustis sic emollitis, ac prolabi incipienti-
bus, linimentum tortile ex aceto acerrimo &
sale naribus est imponendũ, ut sic aceto cru-
stæ exsiccatæ non adhæreant naribus. Tamẽ
si ulcera remaneant, ea curabis opportuno
unguento de cerusa: Rhas. lib. 9 ad Almans.
capite 38.

F.

Ad famem syncopalem.

FAMES syncopalis curam recipit in la-
psu calido per odorifera, ut per cydo-
nia poma redolentia, arantia, limones,
coriandrum præparatũ, rosas, flores lambru
scę, & camphorã. Sed in lapsu frigido gario-
fili, cinamonum, uinum odoriferum cum mi
ca panis assata & aspersa gariofilis curam cõ-
plent: aut tortelli de seni, id est pane bis co-
cto, infuso in uino optimo. Exterius ad sto-
machum conferunt, quæ sunt stiptica & aro
matica, declinantia in contrariũ lapsus, quæ
odoran-

odoranda quoq; ſunt. Arculanus ſuper Rhaſim ad Alm. cap. 89.

Faciem colorandam.

FACIEM colorandam: Bonum colorem faciũt, crocodili ſtercus terrei, ſturni ſtercus, cucumeris agreſtis radices contuſæ, & coctę cum aqua ut cataplaſma faciant. Et radices brioniæ in oleo coctæ, & illitæ. Cupreſsi cinis, & ilicis, ſimul feruefactus in aqua: Bulbus albus item cum melle tritus, & illitus: Oribaſius libro curationũ. Dragantũ quoq;, ceruſa, camphora, lithargyrũ, ſpuma maris, farina ciceris, fabarum & hordei, & amylum, drachanta, ſe. raphani cum lacte uiolæ ſiccæ, & furfur: Rhaſes ad Almanſ. 5 cap. 17.

Ad febrem interpollatam.

FEBREM περιοδικὴν, hoc eſt interpollatã, ex cholera intra uenas putreſcente, de tertio in tertium diem affligentem, delphini iecur ante acceſsionem guſtatum multum iuuat: & lapilli qui in aſelli piſcis capite plena luna reperiũtur, ſi lintheolo illigati à collo patientis pendeant. Et utile eſt, oleo & ſale inungi. Item liquore ex cancris fluuialib. in aqua & oleo tritis, ante acceſsionẽ illini confert. Et dexter oculus lupi alligatus ualet. Item aſini ſanguis potus ex uena quam in auriculis habet. Lacerta quoque uiridis uiua in uaſculo quod eam capiat alligata, ualet. Plinius libro tertio de re medica, cap. tertio. Auicenna ſinapim in hoc caſu frugi eſſe docet, 2. canone. Meſuæ rheubarbarum, in ſuo de ſimplicibus.

bus. Nos ſępius experti ſum9, factis fiendis, tres ualuiſſe radices arnogloſſæ in uino coctas. Dioſcorides folia hyoſquiami laudat.

FEBRIS quotidiana, quam ἀμφημερινὸν uocant, ex phlegmate ortæ, cura eſt, ut patiens ex duobus aquæ cyathis mentam tritam bibat, aut coſto trito cũ oleo ſe ante acceſsionem perungi faciat, ſeu beta agreſti cũ oleo roſato ſe liniendum comittat. Auicenna nigellę decoctum probat: Plinius rutę ſuccum in hac re uehementiſsimum arbitratur. Rhaſes araneam capientem muſcas, albam, & uiuentem, panno lineo incluſam, alligandam ſiniſtro brachio cenſet quotidianam: quam utilem quoq; credit cerato immixtam, & loco emplaſtri fronti additam: uel ſi eam cannulæ incluſam, ſuper muſculum brachij patiens ligauerit.

Ad febrem quotidianam.

FEBRIS quartana croco proſcribitur, ſi quantum tribus digitis triti leuatur, & hora acceſsionis cũ calida propinatur. Vel ſi cor leporis alligatur, aut coagulũ ante acceſsionem bibitur. uel ſi caput uiperæ lintheolo incluſum alligatur. ſeu quum muri uiuo roſtellum primum, & auriculæ ſummum præciduntur, & in roſeo panno collo, mure dimiſſo, ſuſpenduntur: Plinio referente. Aut ſi rubetæ cor in panno leucopeo alligatur. Cornelius Agrippa caput claui, quo aliquis in crucem fixus eſt, collo adponendum ait: Pli-

Ad quartanam.

nij fortaſsis autoritate fretus. Lucius Apuleius herbæ bethonicæ drachmas tres, cum uncia una mellis Attici, in tribus aquę calidę cyathis ante acceſsionem offerendas docet, in libro ſuo de Bethonica. Ex compoſitis diaſulphure utimur, cōfectione de dactylis, ſyrupo de eupatorio, ſecaniabin de radicibus, trociſcis de roſis, de eupatorio, de abſinthio, dialacca, & ſyrupo de thymo.

Febribus omnibus quæ conferant.

FEBRIBVS indifferenter omnibus hæc conferunt: perſonaria pro cingulo uſa: ariſtologia ſicca & uſtulata ut fumum reddat, quē febricitans excipiat. Artemiſiæ ſuccus cum roſaceo inunctus ualet: & idem ſine oleo menſura trium cyathorum hauſtus, par operatur. Item ſuccus camomillæ cum aqua calida potui datus: portulaca quoq; cum melliloto & ordeo mixta, & ſtomacho applicata. Lactuca leporina neſcienti ſub puluino febricitantis poſita. telum araneæ roſaceo mixtū, & temporibus ſuperpoſitum, à morbo ſubleuat: Dioſcor. arnogloſſa cum terebinthina, ſub acceſsione adminiſtrata, liberat: Apuleius.

Ad febres antiquas.

FEBRIBVS antiquis ariſtologia confert, abſinthium, eupatorium, ſpodium, aniſum, agaricus, caro ericij, arnogloſſa, ſuccus abſinthij, ſtichados, rheubarbarum, camomilla, liquiritia: Auic. ſpina alba, oppobalſamum, ameos, diaſulphur Meſuę, trociſci de roſis, dia

phœnicon,

phœnicon, ſyrup. de eupatorio, ſecaniabin de radicibus, trociſci de eupatorio, de rheubarbaro, de abſinthio, pillulæ aggregat. Meſuæ, & pillulæ de rheubarbaro.

Ad febres acutas.

FEBRIBVS acutis ſubſidio ſunt, arnogloſſa, cucurbita, camphora, uinum granatorum, caſsia, fiſtula, ſyrupus nenupharinus, & nenuphar: Auic. citrull9, attriplex, cucumer, melo, ſuccus cucurbitæ, uiola, pruna, myrobalani citrini, ſuccus roſarum, rheubarbarũ, aqua infuſionis roſarum rubearum: Meſuæ, in ſuo de ſimplicibus. diaprunis ſolutiuum & ſimplex Nicolai, electuarium de pſilio, loh de papauere, trifera perſica. Elect. de ſebeſtẽ, trociſci de camphora, rob berberorum, & ribes, diatria ſandali ſpecies, & quodlibet ſandalum.

Ad fiſtulas.

FISTVLAS curant agaricus, centauriũ, antimonium, ſolatrum, calcanthum, millefolium, mellilotũ, erugo æris admixto ſale ammoniaco, mezereon, elleborus niger, radix ariſtologiæ, gariofilata agreſtis, centumnodia, iris illyrica, fel caprinum, pentaphylon et ſandaraca. Ex compoſitis, Hieroglodion Rufi, unguent. Ægyptiacum, oleum de ouis, & ſyrupus de epithymo.

Ad flux. ſan. nariũ.

FLVXVM ſanguinis narium prohibẽt, ſpongia marina, ſanguis draconis, ſpodium, omne coagulum, antimonium, aloe, lappago, uſnea, folia collocynthis, corallus, cam-

phora cum aceto, ſpuma nitri, ſanguis colum bę, ſpina alba, cyminum cum aceto tritum et odoratum, lutum armenicum, camphora cũ aceto, myrtus, cauda equina, colcatar, gypſum, cerebrum gallinæ, ſuccus portulacæ, karabe, fimus capræ, fimus porci, olibanum, ſquinantum, alumen, ſanguis ranæ, galla, telum araneæ, urtica, hippericon, lapis chelidonius, lapis heliotropia, lapis cignites, hæmatites, carneolus, hepar capræ uſtum, ſarco colla, terra ſigillata, acetum, uitriolum, athanaſia magna Meſuæ, Philonium perſicũ Meſuæ in cap. de ſputo ſang. ſemen urticæ cum lana ſuccida, & oleo roſato. Item cocleæ con tritæ, & fronti illitæ. Et teſtæ ouorum unde pulli recenter ſunt enati: ac ſpongiæ combu ſtæ, ac in cinerẽ redactæ, medulla nucis quæ nucleum diuidit.

Ad uentris fluxum.

FLVXVM uentris ſiſtunt plantago in aceto cocta: Apuleius de uirtutibus herbarũ cap. 1. & aſulæ regię ſemen cum acerrimo ace to potum. Et lagopus herba cũ uino ſumpta. Item Plinio aſſerente, cancri ſaxatiles triti, & cum aqua imbibiti: & mori ſuccus in lacte ca prino, & ozimum ſi uentri ſit illitum, aut panicum cum lacte caprino coctum & comeſtum: & panis nauticus tuſus, & iterum coctus ac comeſtus. Cortices fabarum ad tertias decocti proſunt. Et lens aqua cœleſti decocta utiliter ſorbetur, & acetũ merum, &

mala

mala ſylueſtria, aqua item in qua pruna agre ſtia cocta fuerint. Sylueſtrium prunorũ baccæ, ſeu eorundem radices coctæ: omnia iſthæc ualent. Vtiliter quoq; ſorbetur ſuccus ſeminis myrti. & columbus ferus ex puſca coctus in cibo datur, & anatum maſculorum ſanguis. Cimæ rubi in uino auſtero decoctę, commodè adminiſtrantur. Dioſcorides altheam commendat, & Galenus 6. ſimp. cap. 117, Auenzoar ſmaragdũ. Complures diacitoniten Meſuæ, & electuarium de ſorbis eiuſdem. Miuam ſuá Meſue laudat, & Nicolaus ſuam micletam: alij iulep roſarum, uel ſyrupum de roſis ſiccis, ſyrupum item de papauere, de cydonijs, rob ribes ſeu berberorũ, atq; triferam minorem.

Ad narium fœtorem.

FOETORIS nariũ curam Rhaſes habet 5 ad Almáſorem, de re medic. cap. 42. qui in primis uinum aliquotiens in nares attrahendum, ut bene mundetur: & pòſt, hunc puluerem inſufflandum monet, ut fœtorẽ malum in bonum uertat, qui recipit, aluminis, myrrhæ, calcanthi, gallæ, ana partes æquales: uel in tribus libris uini bene redolentis coquantur ſpicæ Indæ, gallæ, gariophilorũ, ana ℥ j. quod uinũ in nares ſugatur, ſeu cum licinio imponatur. Quidam ex radicis ireos ſucco collyrium faciunt, & poſtea ciniar cum ſale armoniaco, alumine & aceto narib. addunt: alij ciperum puluerizatum, ſeu aloen, Gale-

nus amomi puluerē, myrrhæ & rosarum sic-
carum cum oleo nardino imponendum cen
set, de facile acquisibil.cap.42.qui urinam a-
sini ex melioribus lauatiuis arbitratur.

G

Ad genuum dolores.

GENVVM dolores quinquefoliū tol-
lit, contritum cum modico salis, asper
sumq; aceto, & genibus circumligatū.
Neruus item cōtusus uulturis & genibus ap
positus, persanat. Fomentum quoq; ex fabis
in passa maceratis, ad genu alligatum curat.
Et aphronitrū cum lana succida impositum.
C.Plinius de re medica lib.2.cap.47.

Quæ genitu. inhibeāt.

GENITVRAM inhibent odorata frigi-
dæ & siccæ uirtutis. Nam camphora mares
castrare fertur. Et cum nudis pedibus inces-
sus, & lentes primo decocto dempto, & he-
dera, si à purgatione mulieris statim dragma
propinetur. Radix caulis item, eodem tem-
pore cum uino propinata: papauer album,
lactis acidi usus butyro exempto, lenticulæ
decoctum cum canabis semine, coriandrum
in aceto coctum, & se.urticæ.

Ad restringendum gingiuas.

GINGIVAS restringit balaustia, alumē,
aristologia rotunda, corallus, cornu cerui u-
stum, collutio oris ex mastice, calcanthum,
borax, cinis calcanei ustulati uaccæ uel ca-
præ, uitis agrestis, & omne sal.

Gingiuas quæ confortent.

GINGIVAS confortat acetum squilliti-
cum, piretrum, radix cameleontæ, corallus:
Auicenna,

Auicenna, 2. cano. ſquama ferri, lac aſininũ, aqua decoctionis oliuarũ, flos bugloſſæ, galla, myrrha, ſandalum, & atramentum.

GINGIVIS corroſis hunc puluerem utilem dicit Galenus, libro ſuo de facile acquiſibilibus, qui recipit roſarum ℥ j. gallarum ℥ s. myrrhę ʒ ij. fiat puluis, quem appone. Et oris collutionem ex lacte aſinæ, aut ex decoctione foliorum oliuæ, uel ex aceto ſquillitico. *Gingiuis corroſis.*

GINGIVIS tumefactis conferũt ſuccus portulacæ, oleum omphacinũ calidum, uel lentiſcinũ, acetum, ut Dioſcoridi placet: uitriolum uſtum, balauſtiæ, ſe. lini, ſe. gitt, in aceto coctum, ſemen arnogloſſæ, & erugo ferri: Gale. de facile acquiſibilib. cap. 66. *Ad gingiuas tumefactas.*

GONORRHOEAM profligãt, flores cicorij in uino ſumpti, agnus caſtus, hyoſquiamus, iringus, radix ireos, camphora, diolibanum Nicolai, caſtoreum, ſe. caulium, lactuca, lamina plumbi, cynogloſſa, ſe. nenupharis, ſuccus cicutæ, farris omnia genera, lac acetoſum, caro ſuilla, capita ac pedes animalium, lentes dempto cortice, & fabæ in aceto maceratæ, acacia, hippociſtis, & malum granatum: Alexan. Bened. 24. cap. 10. *Gonorrhœæ quæ proſint.*

GVTTVRIS aſperitatem tollit dragantum, uiolæ, manna Meſuæ in lib. de ſimp. amylum, ceraſum, fœnugræcum, liquiricia, cydoniorum grana, & cortex medius tiliæ, oleum amygd. dul. & oleum ſiſaminum. *Ad gutturis aſperitatẽ.*

H

Ad hæmorrhoim.

HAEMORRHOIM, quæ eneruatio uasorum est sedem ambientiũ, Gale. definit. medicar. Et Isac 4. Viatici, cap. 19. ista curant. Si dolor est uehemẽs, istud anodinũ ualet. Recipit enim olei rosati, olei uiolarũ, albumi. oui cum uitello, ceræ albæ, & fiat unguentum molle: ex quo petia inungatur, quæ siteri adhibeatur, prius candela hoc unguento illito, & imposita. Si fluxus hæmorrhoidarum exuberat, de duobus myrobalanis kebulis, patiens comedat pulpam in aurora quatuor diebus continuis, ac superdormiat ieiunus quatuor horis, uel quinque: aut septem pillulas de bdellio deglutiat cum uino nigro. Et si nimium fluant, recipe aloes & thuris ana, quę puluerisentur cum telo araneę molendini, & albumine oui malagma fiat super locum fluentem. Stiptica quoq; cõferunt: ut thus est, karabe, balaustiæ, gallæ, antimonium, acacia, alumen, granatorum cortices, & bistortæ radix. Millefolium talem fluxum quoq; impedit, Galeno teste. Ex tapso barbato stupha seu fomentatio quoq; ualet: & semẽ aneti ustum, Macer. Et bombax uetustatis in aqua decoctionis aneti madefacta, & iterũ siccata, ut natibus tergendis usuueniat. Folia rorismarini cataplasmata, hæmorrhoides inflatas sanãt: Dioscorides. herbam uitri Auicẽna: Mesuæ luff, id

id eſt ſerpentariam ſecundum omnem modum adminiſtrationis commendat. Et ea ſimplicia in hac re ualde laudantur, antimonium, emblici aſsi, arnogloſſa, ſordicies balnei, bdellium, ſcarabei, panis porcinus, teſticulus uulpis, myrtus, uirga paſtoris, auripigmentum, ſquama ferri, corneolus, lapis Iudaicus, lapis lazuli, ſandaraca & ſcabioſa. Ex compoſitis, athanaſia magna ualet Meſuę, & micleta Nicolai.

Quæ hæmorrh. aperiant.

HAEMORRHOIDES folia ficus inuerſa & fricata aperiūt. Et fel tauri, Auic. ſuccus ciclaminis cum licinio impoſitus. Gale. Et ſuccus cepæ cum cotto immiſſus, oleum irinum, & radix lilij.

Hereſypilā curantia.

HERESYPILAM, quæ eſt apoſtema cholericum in ſuperficie corporis: Auic. tertia quarti tract. j. cap. 4. curāt bleta, papauer, acetum bibitum & illitum: cicoreū, cypreſſus, ærugo ferri cū uino, hominis urinæ fex, caulis, ſanguis hirci, hyoſquiamum, urſi ſanguis, uirga paſtoris, lactuca illita, uiola, ſquama ferri, folia rubi, ſolatrum, lactuca aſini, radix mandragoræ, linaria, uirga paſtoris, litargyrium, oleum nucum, pentaphylon, ſuccus rutæ, ſuccus cicutæ, acetum, unguentū roſatum, & unguentum de ceruſa.

Ad hemicraneam.

HEMICRANEAM, id eſt capitis dolorē ex uno latere caputpurgiū leuat, ex oleo roſato ſeu uiolato, cum lacte mulieris puellam

lactantis, seu oleum laurinum, uel nardinũ, aut oleum de euphorbio: Aetius diacantharidum laudauit cataplasma. Quidam hęc simplicia: succum quippe cucumeris asinini in nares attractum cum lacte, os hominis adustum & in potu exhibitum, succum foliorũ persici: Auic. 2 cano.

Quæ hepar confortent.

HEPAR confortant amygdalæ dulces, absinthiũ, lacca, berberis, arnoglossa: Auic. 2 can. Morsus gallinæ, bethonica, agaric9, sodanella, aloe, gentiana, camepithis, cuscuta, gariofilus, iringus, passulæ, cassia lignea, nux muscata, rheuponticum, fistici, eupatorium, Gal. 7 simpl. cap. 139: Rheubarbarũ, Ariston. spicanardi, 8. simp. Gale. cap. 1. sandalum, camphora, cerotum Galeni. diagalanga, pillulæ aureæ, syrupus de cicorio descrip. Galeni, syrup. de bisantijs, & syrup. de eupatorio.

Hepar aperiunt.

HEPATIS opilationes aperiunt, azarum, agaricus, lacca, absinthium, anisum, appium, polium montanum, capillus ueneris, calamẽtum, cuscuta, camepithis, rubea tinctorum prassium, eupatorium, raphanus, ualleriana, limatura ferri, succus rosarum, cicer, petroselinum, sisimbrium & lupinus, à Nicolao commendatur suum antidotum, diarheubarbarum, trocisci de rheubarbaro, trocis. de absinthio, dialacca magna Mesuæ, syrup. acetosus cum rad. syrup. de fumo terrę, minor secaniabin de radicibus, & decoctio de eupatorio.

HY-

HYDROPISIS, chronica paſsio eſt ex frigiditate hepatis, ſic generata, ut cibos in ſubſtantiam ſanguinis tranſmutare non poſſit, ſed in qualitatem concoquat aqueā, phlegma aut ſpiritum: ſic Alexandro græco ſcribente, 2. de morb. curand. cap. 151. Hanc azarum curat, abſinthium, ſquinātum, agnus caſtus, aniſum, appium, caro ericij, auricula muris, ireos, polium montanum, bethonica, lacca, myrobalani chebuli, lac aſinæ, ſoldanella, umbilicus ueneris, maiorana decocta, cinamomum, ſquilla, ſerapinū, ſanguis caprinus & hircinus, cauda equina, radix uitis agreſtis, radix cameactis, folia arnogloſſę, lotium humanum, feniculus, lapis gagates, lapis cacabrathes, aqua ciceris, rheubarbarum, chamedrys: Gal. ad Patern. cap. 72. Euphorbiū, eodem libro cap. 73. radix ebuli, in eodem libro cap. 105. Magnes, ibidem cap. 161. raphanus, in eodem cap. 130. ſquilla, in eodem cap. 260. tyriaca, in libro de tyriaca ad Pamph. cap. 2. Ex cōpoſitis, pillulæ de mezereon Meſuæ, pillulæ Aggregatoris lib. 4, cap. 3 deſcriptæ, quæ recipiunt pillularum rauet Meſuæ ℈ ij. agarici, radicis ireos, ana ℈ j. ſalis gemmæ, zinziberis, ana granum I. eupatorij ℈ s, puluerizanda pulueri zentur, & cum ſyrupo de abſinthio fiāt pillulę vij pro ʒ j. Nicolaus Stokerus in frequēti uſu habuit, adminiſtrare rheubarbarum cum oxymelle compoſito.

Hydropiſis cura.

Item

Item oxymel squilliticũ, cum aqua decoctionis lactucę, scariolę, & rad. fœniculi. Complures pillulas laudãt de rheubarbaro, unguentum Agrippæ Nicolai, unguentum arthanitæ Mesuæ, dialaccam, diacurcumam, diasulphur, diamorusion, syrup. de eupatorio, trociscos de rosis, de rheubarb. emplastrum Andromachi, & oleum almezereon.

I.

Quæ ictericis conueniant.

ICTERO, siue arquato, ubi bilis effusio fit in cutem, isthęc conueniunt: herba absinthij, & succus eius, ac syrupus eiusdem, assa fœtida cum ficubus: urina patientis, cum succo marrubij bibita, Gilberto Anglico teste: succus plantaginis, azarum, asfodillus, rasura eboris cum icterici urina: aqua decoctionis radicum acori cum ciceribus rubeis, & bibita: agaricus cum oxymelle bibitus: Crocus dissolutus in aqua, & potatus, statim curat, cornu cerui ustum, succus solatri prodest, eodem Anglico teste, & camomillæ quoq;, & aqua decoctionis pilosellæ, aqua lactis, scolopendrium, asparagus, spica, decoctio radicis lapatij, radices asfodilli: Gallenus 2 alimento. cap. 62. attriplex, 6 simp. cap. 69. camepithis, 8 simp. cap. 170. Ad ictericiam alia multa idem Galenus habet libro secretorum, capitibus 30. 31. 35. Ex compositis recensentur, Confectio rauedseni, trifera persica, trocisci de rosis, de eupatorio, de rheubarba. de

cam-

camphora, & ſyrupus de fumo terræ.

Ad ignem ſacrum.

IGNEM ſacrum extingũt agrifolium, acatia, ſquinantum, ærugo ferri trita & ſuperpoſita, mellilotum, alumen, gariofilata, caulis, paritaria, berberis, atriplex, adeps porcinus, an chuſa maior, ſemẽ paritarię, arnogloſſa, hepatica, ceruſa, cucurbita, urina pueri, bleta, ſaponaria, uermicularis, ſuccus arnogloſſæ cũ chymolea, crocus cum aqua illitus, papauer, endiuia, mandragora cum aceto trita, centumnodia, lentis decoctum, & folia menthę: Dioſcorides.

Iliacæ remedia.

ILIACA, tenuioris inteſtini acutiſsimus morbus eſt: Symphorianus. Cui reſiſtit diſcerpti ueſpertilionis ſanguis illitus, caſeus uetus ouillus in cibo prodeſt. Seuum ouillũ coctum in uino auſtero & propinatũ iuuat, Spolium ſerpentis in roſaceo decoctum, in uaſe ſtagneo uentri utiliter illinitur: lac caprinum ad dimidias partes decoctum, commodè infunditur. Hæc Plinius lib. de re medica 2. cap. 33. Legius ter uel quater in die oleum bibere iubet, & Iuſtini electuarium commendat: Galenus ad Pamphilum tyriacam præ alijs eligit, cum uino decoctionis gariophilatæ. Kirandus iringi radicem & herbam cum melle & uino decoquendas docet, & propinandas. Et ſtercus lupi recens ſingulare iudicant aliqui, aut oleum de kerua, ſeu de aſſa fœtida.

IMPE-

Aduersus impetiginem. IMPETIGINEM, quæres est similis sahafati siccæ, ut Rhases inquit diuisionum primo libro, cap. 117. sic curabis. Nucleum pineę uiridis teres diligenter cum uino, quasi cerotum mollissimũ, & loco illinito. Aut silicem tritam cum aceto impones, uel fauillam de foco cum saliua induces. Et ieiuni saliua ualet, similiter uua canina. Et dragantũ cum aceto mirabiliter operatur, ac gummi in aceto infusum, & myrrha trita imposita. Succus item chelidoniæ opportunè adhibetur. Vel si recipias thuris masculi, nitri ac spumæ argenti ana, quę conterantur ad spissitudinem mellis, & illinantur. Hæc Plinius de re med. lib. 3, cap. 44.

Impregnat. prohibent. IMPREGNATIONEM prohibent, scolopendria collo suspensa, sanguis menstruus quando supponitur, & scoria ferri: Auic. 2. canone coriandrũ ponit, & lapidẽ sardonicẽ.

Intemperiẽ splen. tollũt. INTEMPERIEM splenis calidam tollimus per irrigationis mediũ, ex rosaceo aut melino, uel per uuæ acerbæ immaturæ succum, & portulacam, ac per pampinos uitis, seu per rumicis acuti semen in potu exhibitum, aut per radicum seu foliorũ eius decoctum, uel cynoglossæ uel arnoglossæ. Aetius sermone 10.

Ad splenis frigidam intemp. INTEMPERIEM splenis frigidam irrigationes sanant, unguenta, cerata, epithemata quæ moderata calefaciendi facultate pręd-

dita

dita exiſtunt:uelut eſt unguentum nardinũ, cyprinum,gleucinum, & cerata ex eis,ac epithema pentamœron.

INFLATIONEM ſtomachi iringus perſanat, gariophilata,fœniculus,uinum granatorum,caſtoreum,ius galli ueteris,cum aneto, carthamo, liquiritia & portulaca bibitũ, & more emplaſtri cum prefatis ſuppoſitum: oleum roſatum,uirga paſtoris: Auic. 2.cano. Spica Celtica, tamarinti Meſuæ in ſuo de Simpli. Coſtus, trifera perſica Meſuæ, camphora, trociſci de ſpodio & ſemine acetoſæ, & petroſelinum.

Pro ſtomacho inflato.

INFLAMMATIONEM ueſicæ rectificat,ſi primò alu9 leni infuſo ſubluatur: hinc ſi papaueris calices cum oleo concoxeris, quod cum adipe anſerino & gallinaceo diſſolutum infundis: Aetius.Rufus,uehementioribus exiſtẽtibus doloribus, oppium magnitudine erui, cum modica myrrha & croco lanæ illitum, in podicem ponendum cenſet:qui & cataplaſma ſuadet ex cruda ordeacea farina,capitibus papaueris,hyoſciami folijs,modico mandragorę ſucco, adiectis:aut fomenta, per aquam & oleum in ueſicis bubulis ſucci plenis admota.

Pro ueſicæ inflammat.

L

LAC prouocat agnus caſtus,azymus,aniſum : Auic.2.cano. gariofilatũ,radix & folia papaueris rubei, cocta cum ptiſana,

Lac prouocantia.

na,

na,ſe.caulis,aqua decoctionis aneti, fœnicu lus,& eius radicis decoctum, cryſtallus : Ga le. ad Paterni. cap.170. lapis galactites, cicer,& eſus amygdalarum dulcium.

Quæ prohibent lac coagul.

LAC in mammillis coagulari prohibet, ſi de cera alba,ad milij aut phaſioli magnitudinem, numero decem, per ſingulos dies mulier tranſglutiat: Oribaſio ſcribente libro curationum.

Quæ lac caſeatum iuuent.

LAC ſi fuerit caſeatum,coagulum quando bibitur reſoluit cum uino: Auic.& coagulum leporinum,à Galeno 10. Simplic.cap.6. laudatur, ſi cum aceto bibitur : item à Rhaſi de re medica.lib.8.cap. 26. Et mentaſtri ſuccus, aut ſyrupus acetoſus ex melle factus : idem Rhaſ.

Ad dolorem ex lacte.

LAC poſt imprægnationem quandoque propter redundantiã dolorẽ facit,quem hoc Plinij cerotum ſedat. Recipe trium ouorum bene trita putamina, & tres ouorũ uitellos etiam tritos : quibus admiſce croci modicũ, roſacei & ceræ q.ſ.ad incorporandum.

Ad lateris dolores.

LATERIS dolores quũ ſine febre ſunt, bdellium & coſtum in potione exhibita ſanant,braſsicę item uſtæ cinis mixtus cum adipe porcino ueteri, & adpoſitus ubi dolor eſt,quem tollit:Plinius.

Ad labiorũ fiſſuras.

LABIORVM fiſſuras plantaginis ſuccus emendat, & folia eius cocta. Item murenarũ ex capite cinis cum melle illitus:membranu

læ hyoſquiami decoctæ, & fiſſuris additę. Ac pulegium cum aceto ante lecti ingreſſum il litum: Plin. de re medic. lib. 1. cap. 30. & 35.

LASSITVDINI ex labore multũ confert ſuccus marrubij, cum oleo roſaceo permixtus & inũctus, ſeu ex lilio irino inũctio, camemelino uel anethino. Auic. lilinum laudat 2. cano. à Galeno 3. Simpl. laudatur ſquilla, & acetum eius, ſecundũ omnem modum adminiſtrationis.

Laßitudini quæ conueniant.

LASSIS ex itinere remedio eſt, ſi per triduum unciam comedant bethonicę, cum tribus cyathis optimi uini. L. Apuleius in libro de uirtutibus Bethonicæ. Triferam ſarracenicam Iacobus de Partibus commendat.

Laßis ex itinere.

LENTIGINES amygdalæ amaræ tollunt, & radices ipſius arboris coctæ, & cataplaſmatis loco impoſitæ. Et aqua erucę cum melle, cicer & coſtum cum hydromelle, mandragoræ oleum, oleum de been, de nucleis ceraſorum, de granis citrangulorũ, uitis ſylueſtris botri, oleum liliorum: Auic. 2. cano. Item braſsicæ ſuccus, allium tritum cum ſale, & oleo nardino. Oribaſius.

Quæ lentigines tollãt.

LECTOS quidam ignoranter commingunt, quos tyriaca, mentha, myrrha & uino odorifero ſubleuamus. Similiter ruta agreſti in uino cocta, & imbibita. Glandes quoq; iuuant, cũ myrrha & thure ana, in uino coctæ. Et oleum myrtinum, ac ueſica apri uel tauri

Ne quis lectum cõmingat.

incensa & pota cum aceto & aqua. Item chymolæa terra cum felle taurino temperata, & ante introitum lecti naturalibus inuncta. Cōstant. de morb. curan. lib. 5, cap. 20.

Ad lepram. LEPRAE fuga sunt, urinæ fex, caro uiperę, æs uiride, caro ericij, ben, terebinthum, decoctio calamenti, nasturtium, myrobalani, caulis: Auic. lactuca asini cū aceto fomētata, radix cucumeris agrestis, calamus aromaticus cum aceto illitus, condisi, elleborus, cartham9, nigella, se. uitis albæ, fimus bouis, succus iuniperi inunctus, cinis hepatis asini, radix lapatij, collocynthis, lapis smaragdus, ius galli ueteris, caro asini, aqua lactis, cortex ulmi, calx abluta & illita, anemona adposita, loleacea farina, spuma nitri, hastulę regię succus, lilij radix melle adiecto, & fimus caprillus: Ægineta lib. 4, cap. 2. Caparis cortices cum aceto, lapatij radix in sapa cocta, cameleontis nigræ radix: Plinius libro curat. morborum 3. Ex compositis Ieroglodion Rufi, confect. hamech, decoctio epithymi, pillulæ Indæ, fœtidæ maiores & minores, syrup. de fumo terræ, de epithymo, oleum iuniperinum, & unguentum alphescericon.

Lethargo conferentia. LETHARGVS, qui morbus est ab obliuione omnium rerum, cum mentis alienatione, ac dormiendi necessitate inexpugnabili dictus: istis maximè curatur, si ferulam accensam naribus imponas, ut lethargicus fumum

fumum attrahat: uel ſi nepitæ ſuccum cum aceto fronti temporibusq; illinas. Euphorbium item cum caſtoreo, & calcáthum cum aceto, naribus inunctum. Capilli mulieris in cenſi, & ſuffumigati, decoctum ſatureiæ ex aceto capiti infuſum: caprina ſimiliter pellis, uel cornu eius combuſtum: ac teſtudinis ſan guis fronti illitus. Et ruta ex aceto odorata: & urtica capiti & pedibus inuncta. Nec non cimices ſeptem triti in aqua, & illiti: & iecur muſtelæ, olfaciendum uſtum: Pli. lib. 3. de cu ran. morb. cap. 6. Galenus ſerpillum laudat li bro ſimpl. ad Patern. cap. 103. Qui in libro ſecretorum tale ponit eclegma: Recipe piperis albi & nigri, macropipe. galangæ, caſſ. ligneę, calami aromat. croci, ſpicę indę, gariof. cardemomi, carpobalſami, azari, zinziberis, ſe. myrthi, omnium ana partem unam, maſticis partes quinq;: terátur omnia, & cum melle deſpumato in uſum cōſeruentur. Galenus doſim huius limitat, ante lecti ingreſſum aureum unum, cap. 59.

Ad infringendam libidinem.

LIBIDINEM tollunt, quæcunq; infrigi dare poſsūt: uelut lactuca eſt, beta, attriplex, cucurbita, morum, melopepones, cucumer, agnus caſtus, & nymphea.

M.

Ad mamill. duras.

MAMILLAS induratas curat proſer pinata cum butyro ſubacta, & impoſita: Apuleius de uirtutibus herbarū,

cap.18.Et orobum,Auic.2 cano. Et orobi farina,Dioſcor. Camepithis à Galeno commẽdatur lib.ſimp.8 cap.170,& eruca.

Ad mamill. apoſtemata.

MAMILLARVM apoſtema ſi ex ſanguine ſit, uel cholera, fabæ cum albumine oui diu piſtatæ curant,uel ſuccus ſolatri, ſeu bolus armenicus, & ſuccus coriandri, ac oleum roſaceum. Sed ex frigore mica panis cum appij fronde, ſeu ſtercus bouis aut fœnugræcum,ac melilotum,& crocus cum lacte mulieris. Conſtãtinus lib. de morbor. cognit.3, capite 15.

Ad matricẽ frigidam.

MATRICEM frigidam calefaciũt adeps anſerinus, & arthemiſia cum oleo roſato impoſita.Eodem modo amygdalæ amarę cum oleo roſato tritę.Et terebinthina cum melle, & adipe anſerino.Cõſtant.de mulier. morb. Quidam electuarium de gemmis commendant,& oleum de ruta,oleum de piperibus, & lilinum.

Ad matricis ulcera.

MATRICIS ulcera poſt partum, peſſarium ex oleo & butyro curat, & centaurium tritum, & cum aqua in pillulas malaxatum, quæ ori matricis imponantur:ſeu ruta,nigella & myrrha cum uino pari modo adminiſtrata.Conſtant.loco præfato.

Quæ menſes ducant.

MENSTRVA prouocant radix rubeæ trita & ſuppoſita,& lapis lazuli bibitus. Item decoctio origani emplaſtrata, peſſarium ex bombyce cum terebinthina madefactum.

Similiter

Similiter uinum decoctionis operatur calamenti, uel pulegij ſeu artemiſiæ, aut baccarũ iuniperi, uel ſaluiæ, ariſtologia ſuppoſita & bibita æquè ualet. Item nigellæ farina cum melle in peſſarium formata, cum uiolentia èducit: decoctio radicis acori quoq;. Et ſtuphæ ex origano, calamintha, ſaturegia, arthemiſia, ſerpillo, camomilla, abrotano, porro, & rubea tinctorum. Item fomentum ex decoctione meliſſæ ualet: Galbanum, iſopus, crocus, azarum, aſſa fœtida, ſerpẽtaria minor, asfodillus, iringus, centaurium, polium montanũ, panis porcinus, camepithis, caſtoreũ, hedera, enula, praſsiũ, ualleriana, raphanus, radix mandragoræ, daucus, liquiricia, faſeolus, petroſelinũ, ameos in uino bibitum, ſummitates amaraci, Gale. ſexto Simpl. cap. 28. Barba iouis, octa. ſimplic. 175, bethonica, 7 ſimp. cap. 20, laurus Alexãdrina, 8 ſimp. 108, ſemẽ leuiſtici, 7 ſimp. cap. 80. marrub. 8 ſimp. 65. myrrha, 7. ſimp. 117. papauer rubeum cũ lana ſuppoſitum, 6. ſimp. 42. policaria maior & minor, 7 ſimp. 40. ſauina, 6 ſimp. 86, ſatyrion, 8 ſimp. 143. ſquinãtum, 8 ſimp. 129. chamedrys, Gale. ad Patern. cap. 72. diptamum, 87. gladiolus, 122. ſtichad. 225. Diacalamentũ deſcript. Galeni. & pillulæ de ſerapino.

Quæ menſes impediant.

MENSES nimiũ ſolutos impediunt, mille folium tritum cum aqua decoctionis hippoquiſtidos & balauſtiarum, & tina de me-

dio cortice quercus, plantaginis, uirgę pastoris & sanguinariæ. Item pessarium quod recipit cinerem cornu cerui usti, acaciæ, hippoquistidos, boli armeni, gypsi recentis, cerę & sepi caprini q.s. ut fiat pessariũ. Dioscorides coriandrum laudat, & corallum bibitũ. Isac glandium combustarũ cinerem in locos iniectum. Auicenna sorbendam monet arnoglossam. Kirandus cor uulturis in corio ligatum supra modum prodesse scribit. alij alumen commẽdant bistortá, lutum armenum, acaciam, spongiam marinam, stercus tauri quando cum thure supponitur: semperuiuá, sumach, scoriam ferri, uirgam pastoris, cinerem corticum nucis, cornu cerui, cocturam glandis, decoctio radicis lapatij, balaustia: 6. simp. 74. coagulũ leporis, 10. simp. 6. succus portulacę, 6. simpl. 41. aqua decoct. quercus, 6. simp. 116. terra samia, 9. simp. 4. athanasia Nicolai cum succo plantaginis exhibita: lapis hematites tritus, & inde suppositoriũ factum, diaolibanũ Nicolai, trifera minor, pillulæ de bdellio maiores Mesuæ, trocisci de spodio, & de terra sigillata.

Melanchol. digestiua. MELANCHOLIAE digestiua, oxymel squilliticum sunt, Democratis descriptione: syrupus de epithymo, syrupus de bethonica, de pomis, oxymel simplex, de fumo terrę, de scolopẽdria, de radicibus sine aceto, cum aquis melissæ, buglossæ, lupulorum, florum agni

agni caſti, maioranæ, roris marini, abſinthij, borag. fumi terræ, ſcolopendrij, ſcabioſæ, capillorum ueneris, polypodij, florũ geneſtiæ, artemiſiæ & pentaphilonis.

MELANCHOLIAM ſoluẽtia, diaſene, pillulę de lapide lazuli, de lapide armeno, myrobalani indi, epithymum, ius galli, cum polypodio, lapis ſtellatus, folia ſenæ, aqua lactis, elleborus niger, ſuccus praſsij. Gale. in lib. de catartic. cap. 5. Agaricus, lib. 1. de febr. ad Glauconem, diſtinct. 4. cap. 2. ſecaniabin, pillulę indæ, lucis maiores, de lap. lazuli, hieroglod. Rufi & hamech confectio.

Melanchol. ſoluentia.

MORSVI uenenoſorũ conferunt allium cum oleo laurino impoſitum, cataplaſma ex radicibus aſfodilli coctis, ciminum cum uino hauſtum, chamedrys in uino hauſta, ſuccus actis, id eſt ſambuci, ſpica cum uino exhibita, caſsia lignea cum aqua potata, calamentum bibitum & impoſitũ, limaciæ terreſtres crudæ & tritæ, capones uiui aperti & impoſiti, policaria cataplaſmata, feniculus cum uino bibitus, gentiana cum ruta & uino accepta, fimus caprarum ſylueſtrium cum uino ſeu aceto coctus, aqua decoctionis lupinorum fomenti uia ſuperpoſita, ariſtologia, auricula muris, coagulũ leporis, capillus ueneris, aſpaltum, naſturtium, caſtoreum, iunipe rus, lapis bezoar, eliotropius, & orites.

Ad morſus uenenoſos.

MOLLIFICATIONI neruorum reme

Ad neruos mollificatos.

dio sunt, oleum de corticibus citri, costus, resina pini, piretrum, acacia, & emplastrum ex fructibus myrti: Auic. 2. cano.

N

Ad narium fœtorem.

NARIVM graueolentiam succus hederæ colatus, & naribus infusus emendat, & aristologię succus cum cypero & melle. Item costus in puluerem redactus, & melli immixtus. caricæ contritæ, & in olla noua cum pusca decoctæ, quoq; fœtorem tollunt: Plinius de re medica lib. 1. cap. 25. Et oleũ philosophorũ, ac de cucumere asinino.

Nauseam tollunt.

NAVSEAM tollunt, pulegiũ tritum, seu in aceto maceratũ, & potui exhibitum. Idem operantur acetosa, ameos, calamẽti succus, endiuia, cydonia mala, punica, & intubũ syluaticum, crudum ex aceto commestum, anetum, menta, gariofili, porrum capitatum excoctũ ac in cibo sumptũ, aromaticũ rosatũ, aromaticũ gariofilatũ, ac syrup9 de menta.

Neruos roborant.

NERVOS roborant cucumeris syluatici radices in oleo coctæ & illitæ, camomilla, oleum sambucinum, malua erratica pistata, & cum axungia emplastrata: artemisia itẽ contusa, & cũ oleo bene subacta: cupressus quoque, stichados, emblici, xiloaloes, isopus, oleum camomelinum, de meliloto, costinum, masticinum, maluinum, citoniorum, de croco, de spica, de euphorbio, nardinum descriptione Ioannis de sancto Amando, uulpinũ,

de

de castoreo, mel rosatum, syrup. de stichad. de isopo & prasio.

O.

OCVLOS clarificantia sunt, azarum, lacca, aloe, antimonium, ozymum, gariofilatum, fel omne: Auicenna scribente. chelidonia, acorus, Galen. ad Patern. cap. 29. prasium, uerbena, lapis gagates, smaragdus, prasius, chrysolithus, caro tyri, ruta, & satureia. *Oculos quæ clarificent.*

OCVLORVM rubedini commodo est cyminum, absinthium, camphora, ebenus, gariofilus, crocus, balsamum, sanguis columbæ, Auenzoar. sal armoniac. & serapinum. *Ad rubedin. oculorum.*

OCVLORVM lachrymas sistũt, lignum pini, borax, inclinatio oculorũ super decoctionẽ croci, Auenzoar. corallus, fumus terpentinæ, lapis galactites, fumus olibani, psilium: Galenus ad Patern. cap. 202. *Ad oculorũ lachrymas.*

OPHTHALMIAM, quæ apostema calidum est coniunctiuè, phlebotomia cephalicæ ex manu opposita oculo infirmo curat, & solutio uentris cum aqua fructuum, aut cũ decoctione myrobalanorum, aut assiduatione mulsionis lactis in oculum, seu infusionis muscillaginis se. psilij in eum, uel seminis citoniorum. Gentilis hunc puluerem in ophthalmia & omni uisus debilitate mirabilem, & prę alijs meliorem dicit, qui recipit: Eufragiæ, bethonicæ, se. anisi, cinamomi, fœnicu- *Cura ophthalmiæ.*

li, zinziberis, cardemomi, se. petroselini, sile ris montani, origani, cubebarum, ana ℥ ij. gariofilorum ℈ j. fiat puluis cum cibis usurpandus. Auicen. tertia tertij, lac optimum cum albo oui & oleo rosato collyrium censet, Galenus antimonium probat, 9 simp. tract. 3, capite 28. Et gypsum in eodem libro, capite 6. Mesuæ sieff album cum oui albumine commendat.

Ad omnes oppilatiões. OPPILATIONES omnes rheubarbarũ curat, aqua lactis, succus rosarum recẽtium, absinthium, stichados, fumus terræ, eupatorium, epithymus, capillus ueneris, azarum, ireos, succus cucumeris asinini. Mesuæ in suo de simplic. diacyminum, confect. de semin. syrup. acetos. syrup. de succis herbarum, syrup. de fumo terræ, secaniabin de radic pilulæ aggreg. oleum amygdal. oleum persicorũ, oleũ de been, costinum, & de piperibus.

Ad oris fœtorem. ORIS malum odorem smyrnium in uino solutum pro collutione tollit, & anisum masticatum: Oribasius. Plinius Neronem ante somnos collutionem probasse scribit. Idem Plinius serpillum aut pulegium comestum, bonum censet: uel origanum cum melle incorporatum, seu ut os ante lecti ingressum cũ uino decoctionis masticis colluatur, aut cũ aqua decoctionis radicis pentaphilonis, seu ut fœtens subinde herbam serpillum masticet. Auic. nucẽ muscatam probat. alijs ele-

ctuarium.

ctuarium de aromatibus, elect. de gemmis, confectio xiloaloes, confectio de citro, aromaticum muſcatum, aromaticum nardinũ, trifera ſarracenica, ſyrup. de corticibus citri, melicratum de citro, galla muſcata & ſuffuff, de xiloaloes.

Contra oſcedinem. OSCEDINEM herba Britannica uiridis ſumpta tollit: quam ſi uiridem non habeas, arida cum uino in mellis ſpiſsitudinem contuſa eodem modo operatur. L. Apuleius de uirtutibus herbarum, cap. 29.

P.

Ad paralyſim. PARALYSIM, quæ diſſolutio neruorum eſt, oleum de ſerpentibus tollit, cuius deſcriptionem Aggregator habet libro 2, cap. 9. Et cẽtaurium in uino & oleo coctum. Similiter ſinapis, & eius ſemen. Item tyriaca, factis fiendis. Stupha quoq; ex calamento, origano, ſaluia, conſolida maiore, naſturtio, lauendula, diamuſcum, diateſſaron, cõfectio alfeſma, ſyrup. de ſtichados, unguẽtum de bdellio, cerotum Alexandri, oleum de lapide gagatis, oleum philoſophorum. Quidam oleum in precio habent de corticibus citri, ſeu oleum de maiorana, & rutam more emplaſtri impoſitam. Dioſcorides radicem agrimoniæ in uino coctam, potandam ſuadet. Galen. 8. ſimpl. capite 71 piretrum extollit. L. Apuleius bethonicam tritam, & cataplaſmatam.

Ad parotidas.

PAROTIDAS, hoc eſt materierum à capite in adenas iuxta aures deſtillationẽ (ſic enim Ægineta habet) iſthæc perſanát: Radicum braſsicæ cinis cum melle illitus, lupini in aceto triti & decocti, & muricũ teſtarum cinis cum mulſa additus. Itẽ ſepiæ oſſa cum axungia contuſa, & lini ſemen tritũ ac melli immixtũ, ac fimus columbinus cum farina ordeacea & melle, aut urſin9 adeps cum ſeui taurini particula: caput uiperę linteolo illigandum, & collo ſuſpendendum, Plinius docet de re med. lib. 1. cap. 13.

Ad panaricium.

PANARICIO, quod eſt apoſtema paruũ, acutum & calidum, in ſummitatibus digitorum eueniẽs, medentur iſta: thus cum melle, folia oliuę uiridia, emplaſtrum ex raſura eboris, aloes tritum & impoſitum: & aurium ſordes, ac licium, erugo item ferri cum uino trita, & liquiritia, atq; eiuſdem ſuccus, & radix brioniæ cum uino.

Quæ partũ facilitant.

PARTVM facilitant, lapis iaſpis coxæ alligatus, & radix cyclaminis idem operatur, ac lutum creticũ, & oleum de lilio: Auicen. 2. cano. Et arthemiſia, Galen. ad Patern. cap. 21. Adiantus quoq; tritus, & cum uino & oleo potatus, & cardamomum: eodem libro, cap. 69. Item diptamus cum uino hauſtus, ac bulbus amarus cum ſapa: & ſcrophinum lac in mulſa ſumptum. & pulegium, ſi partu laborans ſupponat: Oribaſ. curat. libr.

PEDI-

PEDICVLOS arcẽt ſuccus hederæ, uel eiuſdem gummi, argentũ uiuum, cum oleo roſato: & chitran, id eſt gummi cedri, & ſtaphiſagria, & ſandaraca, ac nitrum, & ſemẽ ſtaphiſagrię: Galen. ad Patern. cap. 224. Item oxylapatium cum oleo & helleboro albo, allium comeſtum, & lixiuium ex lauri baccis.

Contra pediculos.

PESTILENTIAM & aeris corruptionem emendant, lignum aloes, grana iunipe ri, ſuffitus ex maſtice ac olibano, cortices citri, bolus armenus, biſtorta, tormẽtilla, nux uomica, terra ſigillata, pimpinella, flos tunicæ, uinum ponticum, ſanguis anſerinus, thymiana, laudanum & ambra.

A peſte præſeruant.

PECTVS mundificant ſerpentaria minor, capillus ueneris, ariſtologia rotũda, alhaſce, enula, praſsium, carthamus, turbith, ſquilla, agaricus, uolubilis, ſcariola, ireos, auellana, oppoponacum, athanaſia Nicolai, ſatureia, pillulæ de agarico, & ſcabioſa.

Quæ pectus mundificẽt.

PECTORIS ſiccitati proſunt dragantũ, uiolæ, fœnugræcum, gummi arabicum, lingua auis, oleum nucis Indicę, manna, ordeũ, iuleb uiolarum, & ſyrupus uiolarum, ſyrupus de iuiubis, myrtinus, & de papauere.

Ad pectoris ſiccitatem.

PLEVRESIM ariſtologia ſubleuat, asfodillus, aſſa fœtida, oleũ de amygdalis dulcibus, pes columbinus, cucurbita, bdelliũ, butyrum, naſturtium, ſuccus gentianæ hauſtus penſo duarum drachmarum, ſyrupus nenupharinus,

Pleuriticis quæ conferant.

pharinus & uiolaceus. Auic. 2, can. pineę, cau lis, porrum, prasium, tapsus barbatus. Dioscorides aquá decoctionis radicis acori laudat, & adipem porci cum uino lotum. Vinũ alij squilliticum, bethonicam, semen urticæ, item diagagantum calidum & frigidum Nicolai, diapenidion Mesuæ, diaolibanum, loh de papauere, & loh de squilla.

Ad peliomata. PELIOMATIBVS, hoc est sanguini mortuo, hæc superponenda sunt, Galeno doctore: isopus trita, & cum uuido panniculo imposita, aut farina ireos cum melle cataplasmata, seu cyminum tritum cum lacte mulieris, similiter erucæ semen aut origanum cum melle.

Ad podagram. PODAGRAE conueniunt serpentaria minor, agaricus, aloe, erugo ferri cum uino emplastrata, altea, pes columbinus, attriplex, arnoglossa, hyosquiamus, lutum samium, lactuca, oleum oliuarum uetus cum cucurbita, spina alba: decoctionem amomi Dioscorides alijs prefert, & aspaltum cum nitro & cera, aristologiam in aqua coctam, paritariam cum axungia caprina, radicem altheæ cum axungia ueteri, casiam fistulam, cicoreum, acetũ cum sulphure permixtum pro fomento, fœnugræcum cum brasica, succum rasuræ cucurbitæ, fimum caprarum syluestrium cum axungia, sanguinem menstruum. Cucumer erraticus à Galeno cõmendatur, ad Patern. 76. &

76. & fimus omnis, eodem libro cap. 113: qui in libro Secretorũ, cap. 73, ſingularia ponit. Ex compoſitis laudata habemus, benedictá ſimplicem Nicolai, pillulas de hermodactylis minores & maiores Meſuę, pillulas aggregatiuas, pillulas de ſerapino, emplaſtrum ſinapis, oleum uulpinum, philoſophorũ, oleũ ranarũ Stockeri, & unguentum Marciaton.

Ad matricis præfocationem.

PRAEFOCATIONEM matricis, quam ſtrangulationem quidam uocant, abrotonũ curat, coágulum camelinum, blacca biſantia, agaricus, amoniacum, cepe cum melle, lignũ aloes, ſe. altheę, iuniperus, aſſa fœtida, ſe. lini, aſpaltum, galbanũ, ſquilla, lapis gagates, peucedanum, galla, oppopanacum, ſtorax, yſopus ſicca, ſuccus corticum nucum, oleũ amygdalinum, aromaticum muſcatum Meſuę. oleum nardinum, maiorana, & ſerapinum.

Ad pthiſim.

PTHISICIS utilia ſunt, ius galli ueteris, agaricus, crocus, radix ſpinæ nigræ, praſsiũ, limaciæ terreſtres, lapis chryſolithus, baccæ lauri cum melle. Galeno bolus armenus placet, 9. Simpl. cap. 10. Et raphanus, lib. ad Patern. cap. 130. diarrhod. abbatis Nicolai, diadrag. frigidum, diatria ſand. trociſci de campho. & conſerua roſarum.

Q

Cõtra quartanam.

QVARTANAM curant epithymum, endiuia, uirga paſtoris, aſſa fœtida, praſsiũ, pentaphyllon. Et quę Dio-

ſcorides

ſcorides ponit, uelut radix aſparagi, & quatuor radices arnogloſſæ ante paroxyſmum cum uino exhibitæ, centinodia, tela araneæ in corio ſuſpēſa collo, hypericon, ſe. heliotropij, id eſt ſolſequij ante acceſsionē exhibitū. Ex compoſitis cōmendantur ſequentia: diacalamentū Nicolai ſemper poſt cibum ſumptum, ieroglodion Auicennæ quinto canone, mithridaticū Nicolai, ſi per horam ante cōflictum cum uino tepido propinetur: oxi ſaccara, & unguentum arragon Nicolai ſuper dorſi ſpinam inunctum.

Quottidianæ medentur.

QVOTTIDIANAM Galenus lib. ſecretorum iſtis pillulis curandam docet. Recipe caſtorei, myrrhæ, ana aureū unum & ſemis. ſe. hyoſquiami alb. ʒ iij. ſe. appij ℥ j. tere omnia, & cum uino ſphærulas inſtar piperis cōfice, quarum doſis quinq; granorū eſt, cum rob myrthi & aqua: Galenus Secretorū cap. 34. Et idem eodem libro tales trociſcos ponit, qui recipiunt roſarum, ſpodij, eupatorij. ſe. cuſcutę, berberis, ſem. endiuię, ana ℥ s. xiloaloes, dragāti, abſinthij, aniſi, doronici ana ʒ j. terantur, ut cum aqua calida trociſci fiant, quorum unus penſo duarum drachmarum, quem tritū cum ſyrupo acetoſo ſeptem exhibeamus diebus: capite 51. Plinius libro de morb. capite 4, menthá tritam ex aquæ cyathis duobus propinandam ait, aut rutæ ſuccum cum uino.

R

RENES mirabiliter à dolore ſubleuant radices feniculi cum ptiſana exhibitę, & ſuccus earūdem idem operatur. Similiter urticę ſemen tritum, & cum uino exhibitum. Et ſparagi radix trita, ac cum mulſa propinata. Et lauri baccæ uirides, quæ renibus prius tritę imponūtur. Plin. lib. de re medic. 2, cap. 37. camepithym Auic. 2. cano. utilē ſcribit, cap. 130. & agaricum, cap. 81. Alij athanaſiam magnam Meſuæ, diamorſion, cōfect. Philonij, oleum lauri, keirinum, ruthæ, de piperibus, uulpinū, philoſophorū, & nardinū.

Contra dolorem renū.

RENVM oppilationes mellilotum aperit, arnogloſſa, epithymum, polium montanum, ameos, camepithys, cuſcuta, ſpargus, radix fœniculi, bruſci, petroſelini. Ex compoſitis, ſyrupus de duabus radicibus, de quinq; radicibus, acetoſus compoſitus, & de eupatorio.

Ad renes deoppilandos.

RENVM ſupercalefactionem caſsia fiſtula tollit, portulaca, arnogloſſæ ſuccus, & uermicularis. Ex combinatis, unguentum ſandalinum Galeni, unguentum Agrippę, & unguentum comitiſſæ.

Renū ſuper calefactioni.

RESTRICTIO ſanguinis ex uulnere cōpletur ſequentibus. Sanguinem undecunq; fluētem karabe reſtringit. Et camphorę grana duo diſſoluta in ſucco uuæ acerbæ, ſeu aqua myrthi, uel ſucco dactylorū immaturorum,

Ad reſtringen. ſanguinem.

rum. Et uirga pastoris, & gallæ in prunis cõbustæ, & aceto maceratæ, & sale, ac superpositæ. Cinis item cartharum, & stercus caprarum dissolutum cum aceto, uel stercus asini ustum, & tela araneæ ex molendino, terra sigillata, uitriolum Romanum, olibanum, muscus, alumé, folia salicis: Varignana. Galenus cineré quercus laudat, aut myrthi, & coriandrum tritum & impositum.

Rupturas inguinis curant.

RVPTVRAS inguinales nux cupressi curat, bdellium, acacia, radices granati, cõsolida maior & minor, se. lini, plantago, pẽtaphylon, glandes, & bolus armenicus.

Ad rupturas intrinsec.

RVPTVRAS intrinsecas rheubarbarum curat, quando de eo datur dragma una: mumiæ grana duo, & rubeæ tinctorum granum unum & semis, cum uino stiptico: Mesue, in suo de simplicibus.

S.

Sanguinem mundificãt.

SANGVINEM mundificant fumus terræ, Auic. 2. can. cap. 282. aqua lactis, Mesue in suo de simplicib. casia, succꝰ rosarum, lupuli, capillus ueneris, cuscuta, carthamus, borago. Confect. anacardina, diacatholicon descriptione Nicolai, diabuglossatum, syrupus de lupulis, aqua fructuũ, & syrupus de fumo terræ.

Ad sang. coagulatum.

SANGVINEM coagulatum incîdit & resoluit assa fœtida, & bitumen quãdo bibitur: Auic. 2. cano. cap. 118, mumia nice toxicum, et

amaracus

amaracus cum ſuo ſyrupo hauſtus, & melle: Galenus ſexto ſimpl. cap. 28.

SANGVINIS ſupercalefactioni utiles myrobalani ſunt emblici, tamarindi, limaciæ: Auic. 2, can. Berberorum eſus, ribes, trociſci de camphora Meſuæ, & aqua decoctionis fructuum eiuſdem.

Ad ſang. ſupercalefact.

SCOTOMIAM patienti, hoc eſt patienti ſubitam tenebroſitatem oculorum, abrotanum curat, aut balſamita capiti & fronti cum oleo trita applicata: Galen. uel ius decoctionis uallerianæ, Gilbert. Angli. ſeu ius linguæ paſſeris. Auicenna galbanum laudat.

Quæ ſcotomiæ conferant.

SANGVINIS ſputo remedio eſt ſuccus centinodij hauſtus, & gummi perſici cum uino potatum: Dioſcorides. Item puluis mororum ſiccorum, ultimum remedium eſt. Et puluis oſsis ſepiæ cũ aqua bibitus. Thymus quoq; & epithymus in aqua bulliti, & cum melle deſpumato exhibiti, amygdalæ quoq; ſingulare præſidium habentur. & radix traganteæ cum melle deſpumato ualet: Macer.

Ad ſanguin. ſputum.

SCABIEM tollunt, enula campana trita, & axungiæ porci permixta, argentũ uiuum cum oleo extinctum, terebinthina cum butyro maiali, arſenicum cum oleo, decoctum hederæ arboreę, capilli hominis combuſti cum oleo & lithargyrio incorporati, ſuccus uitis, radix lapatij acuti cum ſale & aceto. Dioſcorides amurcã olei cum aqua decoctionis lu-

Ad ſcabiem tollendam.

pinorum laudat, & lotium humanũ. ſulphur cum aceto Galeno placet, 9. Simpl. tract. 3. cap. 9. ſauina, ariſtologia, aloe, alumen, ſcabioſa, lupinus, fumus terrę, cõfectio hamech Meſuæ, pillulæ de fumo terræ deſcript. Auicen. ſeptima quarti cap. de cura ſcabiei.

Ad ſcrophulas.

SCROPHVLAS, quæ ſunt apoſtemata dura in molli carne naſcentia, Conſtantino teſte, iris cocta reprimit cataplaſmata, & ficus non maturæ coctæ: & iris cum ariſtologia, & dialthea, uel lupini farina, cum aqua temperata: ſeu elaterij radix piſtata. Itẽ capparis cocta, uel nitrum cum fermento. Conſtant. libro curat. 3. cap. 23. Auicenna cinerem hepatis aſini commendat, cum oleo, & linguam arietis collo appẽſam. Fimum columbinum Dioſcorides effert, cum aceto. Galenus decoctionem lenticulæ, ad Patern. cap. 148. Complures unguentum artanitę in precio habent, diaquilon, emplaſtrum Oribaſij, oleum de been, & oleum de cucum. aſinino.

Pro ſciaticis.

SCIATICIS radix chelidoniæ cũ aqua bibita multum prodeſt. Et ſuccus peucedani cum aceto & oleo illitus, & ſtercus caprarum ſylueſtriũ cum axũgia: carthamus quoque cum aceto impoſitus, & ſemen capparis cum uino hauſtum: Varigna. Kirandus leporis excrementum cum uino propinatum extollit, & puluerem ex herba & flore hypericonis, cum uino hauſtum, per quadraginta dies.

dies. Galenus ſequentia habet: bethonicam, 7. Simp. cap. 2, collocynthim, libro de cathar ti. cap. 5. coſtum, 7. Simp. 45. ſemẽ naſturtij, 7. Simp. cap. 8. & alia in lib. de facile acqui-ſib. cap. 110. & lib. Secretorum, cap. 44. & 57. Varignana pillulas de ſarcocolla laudat. alij ieroglodion deſcript. Auic. 5. cano. & unguẽ tum marciaton Nicolai.

Ad ſyncopim. SYNCOPI ualent muſcus, ambra, lignũ aloes, maſtix, margaritæ, corallus, raſura ebo ris, os de corde cerui, aurum, odor panis recentis, odor cucumeris agreſtis, electua-rium de gemmis Meſuæ, tyriaca, diamargari ton, confect. xiloaloes, aromaticum mu-ſcatum, rob de citonijs, de piris, diabu-gloſſatum, diaborriginatum, ac trociſci de li gno aloes.

Ad ſitim extinguẽdam. SITIM extingũt, dragantum, cydonium, emblici, liquiritia, aniſum, cucurbita, caſsia fi ſtula, ſumach, tamarindi, manna, uiolę: Auic. Lactuca Galeno placet, 3. complex. cap. 4. li-quiritia, 6. Simpl. cap. 100. cryſtallus Marbo-deus, pirum cõmeſtũ, 6. Simpl. 49. Et iſthæc compoſita, conditũ de perſicis Meſuæ, con-dit. de acetoſa, trifera perſica, iulep roſarum, uiolarum, conſer. roſarũ, ſyrupus acetoſus, rob ribes, ſyrup. de acetoſit. citri, rob de agre ſta, rob berberorum, ribes, trociſ. de campho ra, de ſpodio & ſandalis.

Ad ſodam. SODAM, id eſt capitis dolorem, euapora

tio decoctionis ſeminis aniſi perſanat, & oleum anetinum inunctum, & aloe quando illinitur ſuper frontem cum oleo roſato & aceto: & pſilium conquaſſatum in aqua, & fronti appoſitum: abrotanũ more emplaſtri additum, oleum camomelinum, cortices radicis capparis maſticatæ. Et gummi cedri illitum: & mumia diſſoluta in ſucco ſamſuci, ut caputpurgiũ ſit. Et folia trifolij temporibus emplaſtrata, & folia myrthi uiridia in uino cocta. oppium item cum oleo roſato & myrrha diſtillatum in aurem, & aqua pſilij fronti illita: Galenus lib. Simpl. ad Patern. cap. 69.

Ad ſomnum prouocandum.

SOMNVM prouocandum papauere utimur nigro, aneto, croco, camphora: Auicen. mandragora, Galen. ad Patern. cap. 177. oppio, eodem libro cap. 195. lactuca, uiola, nenuphare, eiuſdemq́; oleo: & oleo de floribus papaueris, Meſuę. Et ſyrupo de papauere, ac nenuphare, & unguento populeonis.

Pro ſplenis confortatione.

SPLENEM confortant, lacca, agnus caſtus, bethonica, diptamus, lapis armenus, homorruſia deſcriptione Auicennæ, quinto canone.

Spaſmo utilia.

SPASMO utilia habentur ſquinantum, decoctio acori embrocata, agaricus, aſſa fœtida, ſpina alba, caſtoreum, bdellium, farina fabarum, chamedris, aſpaltum, oleum irinũ, galbanum, euphorbium, iuniperus, ſtorax liquida: Auic. balſamũ, oleum de ſe. lini, oleũ

de

de caſtoreo, & ſerapinum. Ex compoſitis, ſyrup.de ſtichad.pillulę de ſerapino,unguentum de bdellio,cerotum diapente,oleum de been, oleum de ſemine lini, de croco, & de piperibus.

Spinas extrahend.

SPINAS extrahunt ſemen canabis,ambę ſpecies morſus gallinę,Galen.6 ſimp.cap.36. gladiolus,ad Patern.cap.122.& pinguedo leporis,ariſtolog.trita,fimus anſeris:Macer.

Stomachũ confortant.

STOMACHVM confortant barba hircina,ſpodium,uinum granatorum, piper longum,ariſtologia longa, abſinthium, menta, cortex olibani,lignum aloes,berberis,myrobalani emblici,ſcoria ferri:Auic. aloes, Meſue in ſuo de ſimpli.carpobalſamum,gentiana,Dioſcorides.cinamomum, coriandrum, cardemomum, uinum ponticum,pirum comeſtum:Gale.6 ſimpl.cap.49.Flores rubi,in eodem,cap.75,ſpina alba,ibidem cap.16.ſpica nardi, 8 cap.1. trifolium cum aceto, 2 aliment. cap.53. electuariũ de gemmis Meſuæ, conditum de zinzibere eiuſdem, miua citoniorum cum ſpeciebus & ſuc. conditum, de perſicis,de citro,de myrobalanis chebulis & emblicis, electuarium de ſorbis,cerotũ Galeni, diacyminum, electuarium de citro, aromaticum roſatum, gariofilatum, nardinum, electuarium de granis myrti, diambra, galla muſcata,hiera compoſita deſcriptio.Nicolai, ieroglodion deſcript. Auic. 5 canone. mel ro

ſatum, ſyrupus de menta, de abſinthio, oleũ de abſinthio, aqua ferrata, pillulæ aureæ, alephanginæ, maſticinæ, deſcriptione Petri de Ebano, in additionibus Meſuę cap. de medicinis appetitus corrupti.

Pro ſtomacho frigido. STOMACHVM frigidum calefacit diacorus magiſtralis, antidotum Nicolai, diaciminum, diatrion pipereon deſcrip. cõmuni, zinziber conditum, ſyrupus de menta, & ſyrup. de calamento.

Sternutandum. STERNVTATIONEM prouocant helleborus albus & niger, arthenita, ſanſucus, ireos, condiſi, caſtoreum, oleum roſatum quũ odoratur, Auic. teſte. Et radix botrachion, id eſt radix apij ſylueſtris.

Sudorem prouocantia. SVDOREM prouocant raparum ſuccus, appium Romanum, piretum, calamentum: Auic. bdellium, ficus, oleum de galbano: Dioſcor. oleum de aneto, Meſuæ.

T.

Ad teſtes inflatos. TESTICVLORVM inflationes farina fabarum tollit, diſtemperata cum ſucco ebuli, & oleo communi, Iſac. Idem operatur fimus caprinus cum uino ſolutus: Kirandus. Et ſemen ac folia hyoſquiami trita, & asfodillus, agnus caſtus, & uua paſſa.

Ad tertianam. TERTIANAM curat exhibitio ſucci capitis monachi ter uel quater ante acceſsionem: ſic item ſuccus arnogloſſæ, & tres radices arnogloſſæ tritæ: & poſt quartá acceſsio

nem

nem exhibitio trium granorum coriandri in ouo ſorbili: Oribaſius. Aut exhibitio unius unciç granorum milij ſolis, cum uino in principio frigoris: Varig. Et centaurium piſtatũ, ac eodem modo exhibitum. Telum item araneæ quibuſdam emplaſtris immixtũ, & fronti ac temporibus applicatum, tertianæ medetur: Auic. 2 can. cap. 64.

Quæ tenaſmonem curant.

TENASMONEM curant ſauina, balauſtia, arthemiſia, decoctio fœnugræci, orobũ, ozymum, gariofilatum, karabe, naſturtium, cortex pini, colofonia, ſe. lini torrefactum cũ granis myrti, gummi arabicũ, licium, tapſus barbatus: Auic. ſquama ferri, pſiliũ, ſarcocolla, allium: Plin. lib. 20, cap. 6 & braſsica, idem 20, cap. 9.

Tremori cordis.

TREMORI cordis aurum confert, margaritç, moſchus, calciamentũ hirci: cor ſimiç aſſum, ſiccatum, & potui unius drachmæ cũ mellicrato exhibitũ: Rhaſes autor eſt. Et acetoſitas citri ualet. Et optimum dicunt eſſe, ſi corallus propinetur rubeus, cum croco & uino: Been album & rubeum, gariofilatum item, uinum granatorum, electuarium de gẽmis Meſuæ, aromaticum muſcatum, diabuglоſſatum, & diaborriginatum eiuſdem.

Ad tremula membra.

TREMVLA habentibus membra lauendula confert, ſquilla, oleum de cinamomo, caſtoreum, & de eodem oleum: caulis quoq;, Auic. teſte. cerebrũ leporis, Galeno aſſerẽte

lib.II.ſimp. cap. 6. & Auenzoar in procemio in theiſir. arthemiſia, euphorbium, & ius galli antiqui.

Ad tußim.

TVSSI remedio ſunt gummi ceraſorum, cum uino diſſolutum & exhibitum. Auellanæ aſſatæ & tritæ cum melle, & pulmo uulpis, oleum de amygdalis amaris, cum amylo tritici: camedris, ſordities balnei, eruca, aſpaltum, lac aſininum & caprinũ, aſſa fœtida uesperi cum ouo ſorbili exhibita, baccarum lauri decoctum, praſsium, cardamomum: Gal. ad Patern. cap. 69. Lentiſcus, in eodem 147. Et ex compoſitis athanaſia magna, dianiſum Meſuæ, diaolibanum, diapenidion Nicolai, loh de pino, loh ad aſma, loh ſanum, loh de caulibus, pillulæ de agarico, iulep uiolarum, ſyrupus de papauere, ſyrup. de granis myrthi, ſyrup. de iuiubis, de liquiritia, de praſsio, de calamento, dragantum frigidum Nicolai, & loh de pulmone uulpis.

V

Veneficiatis quæ conferant.

VENEFICIATIS tyriaca confert magna, cum ſucco hippericonis exhibita. Et hippericõ herba renibus emplaſtrata: Gilbertus. Et dens hominis mortui tritus, & potatus: idem. Et auellanæ teſta cũ argento uiuo repleta, & puluinari ſuppoſita: Conſtant. Corallum, Dioſc. maleficia ſoluere teſtatur. Et Conſtãtinus ſanguinem nigri catelli parietibus illinendum ſuadet. Dioſcorides

rides ſquillam integram limini ſuſpendendá docet. Cardanus merdam in dextrum calceum illius imponendam ſcribit, qui maleficium intulit.

Ventrẽ quæ laxent.

VENTREM laxat fel tauri cum aloe & ſale gemmæ, admixto oleo, ut fiteri ungatur: & radix cyclaminis trita, & emplaſtrata ſuper umbilicũ. Et ſuccus eiuſdem cum bombace in anum poſitus, ac ceraſa dulcia ieiuno ſtomacho cum nucleis comeſta. Et collocynthis cum melle & taurino felle ſuperpoſita. Et radix ebuli trita, uel ſucc9 mediani corticis eiuſdem, cum ſtercore muris & axungia emplaſtrata. Et nebulæ ex farina frumenti & catapotiarum factæ opportunè ſoluunt. Et decoctio ſulphuris hauſta, & cydonium poſt omnes cibos. Auic. 2. can. Dioſcorides decoctionem probat actis, id eſt ſambuci: decoctionem blitis, crocum, caſeum recentem. Galenus blitum laudat, 2. alimentorum, cap. 42. ficus recẽtes & ſiccas, 8. Simp. cap. 123. modica decoctio lentiũ, 8. Simp. 153. mora matura, 7. Simp. cap. 100. Et ſerum lactis, Iſac.

Ad ſplenis uentoſitatẽ.

VENTOSITATI ſplenis diacalamentũ medetur, diatrionpiper, diaſpermaton, ruta, ſemen git, ſemen appij, aniſi, petroſelini, cymini, bethonica, ſcolopendriũ, polypodium, cortices rad. caparorũ, lauri cortex, peucedanum, calamentũ uiride, praſsium, & centaurium:

rium: Alexand. Iatros lib. 2, cap. 116.

Ad uentositat. auris. VENTOSITATI auris citiſsimè iuuat, inquit Auicenna, caſtoreũ diſſolutũ in oleo nardino, & lentis inſtar in aurem diſtillatũ: 2. canone, cap. 126. & oleum de ben, ac oleum camomelinum.

Ad uertiginem. VERTIGINEM perſanat agaricus, epithymum, aniſum, radix uitis albæ, balſamũ: Auic. lapis armenus, acetum ſquilliticũ cum ſtichados floribus, lapis ſamius, ſerapinum Meſuæ in ſuo de ſimpl. & mumia. Ex compoſitis, diamuſcus, cõfect. alfeſcera, aromat. roſatum, electuarium de pſilio Meſuæ. hipera Hermetis, pillulę fœtidæ maiores & minores eiuſdẽ, acetum ſquilliticũ, oxymel compo. Ieroglodion Rufi. & ſyrup. acetoſit. citri.

Ad morſus uenenatos. VENENATIS morſibus reſiſtunt ſquinantum, ſerapinum, caſtorium, zedoaria, cancer ſaxatilis, doronicum, abrotanũ, terra ſigillata, policaria, asfodillus, ſerpillum, agaricus, nux cum ficubus, decoctio radicũ apij, calcantum cum mulſa, eruca, galbanũ cum myrrha & uino bibitum, radix gladioli cum uino, folia rutæ cum nucibus, agnus caſtus, marrubium, auricula muris, ſmaragdus, agrimonia, lapis bezoar, hippericon, coagulum leporis, bethonica, bdellium, calamẽtum, camedris, ſpica celtica, hyſopus, gentiana, iuniperus, lapis aquilæ quem Albertus commendat, & tyriaca quam Ariſtoteles, raphanus,

enula,

enula campana, ſaluia, lac recens bibitum, agrimonia, Galen. ad Patern. cap. 13. Mithridaticum deſcript. Nicolai. Auicenna & Rhaſes talem ponunt tyriacã, quam certiſsimam contra omnia uenena ſcribunt, quæ recipit rutæ ſiccæ partes uiginti, nucũ à corticibus mundatarum partes duas, ſalis & ficuũ ana partes quinq;, conficiantur.

Veſicæ doloribus. VESICAE doloribus attriplex conuenit contuſa & impoſita, bethonica, arthemiſia, decoctio radicis aſparagi, cyminũ, ſpica celtica, fœniculus, laurus, dragantum exhibitum cum cornu ceruino, lapis exebanos, liquiritia, pæonia, & radix nenupharis. Dioſcor.

Ad uirgæ ulcera. VLCERA uirgæ, oſſa carpionis in capite reperta, & uſtulata in cinerem, bene ſanant. & lotio decoctionis ſaluiæ: Macer. Et cinis cucurbitæ ſiccæ: Dioſcorid. Et fomentum cum uino decoctionis foliorũ oliuæ. Et ſuccus arnogloſſæ illitus, & lithargyriũ diſſolutum cum oleo roſato, & lac aſininum, uel caprinum, cum ſucco plantaginis hauſtum.

Vlceribus renum. VLCERIBVS renum lac confert, ſi bibatur, Iſac ſcribente. Item ouum, maximè ſi crudum ſorbetur. Auic. 2. cano. Item trociſci de alkekengi deſcript. Meſuæ.

Ad ulcera difficilia. VLCERA difficilis curationis aloe ſanat, anchuſa maior, id eſt cardo benedictus cum oleo decocta, & cera: ariſtologia rotunda cũ melle, balauſtia. Galen. 6. Simp. 74. chelidonia,

nia, 8. Simp. 172. cyperus, 7. Simp. 72. & rubea tinctor. 7. Simpl. 32.

Ad cōpesc. uomitum.

VOMITVM impediunt emblici, camepithys, decoctio corticum citri, coriandrū preparatum, mentha, gummi arabicū, cydoniū, cardemomum cum decoctione masticis, cortices fabarum, gariofili, mespila, nux muscata, portulaca, olibanum, zedoaria, galanga, tamarindi, myrabolani bellirici, acetositas citri, æs ustum cum mellicrato, ameos, serpillum, rob de ribes, sandaraca, aromaticū muscatum Mesuæ, aromat. gariofilatum eiusdē, cōditum de citonijs, syrupus acetosus de citonijs, syrupus de mentha, rob ribes, rob de agresta, emplastrum de mica panis cum succo citoniorum & gariofilis, emplast. diaphœnicon descript. Alexandri, & syrupus de calamento.

Vocem clarificantia.

VOCEM clarificant dragantum, eruca cum melle, decoctio assæ fœtidæ pro collutione, carthamus, cubebæ masticatæ, amylū, cerasum, uiola, caulis, fœnumgræcum, liquiritia, manna, myrrha: Auicenna 2 can. succus caulis, Dioscorides, diairis Nicolai, squilla, bichichæ alb.

Ad mundifi. uulnera.

VVLNERA mundificant aristologia rotunda & longa, aloe, folia oliuæ agrestis, flos salis, pumex, gentiana, radix asfodili, arnoglossa, succus frasiliconis, ęs ustum, uerbena, centinodia, millefolium, hedera terrestris, brassica,

braſsica, camedrys cum melle, centaurea minor, trita & impoſita, lixiuium, Gale. ad Patern cap. 146. & mel, eodem libro cap. 175.

VVVLAM leuandam, quæ morbus faucium eſt, propter tumorem & caſum, ſiue elongationem uuulæ, quam græci γαργαρεῶνα, Hippocrates tertio prædictionum gurgulionem uocat, aphor. 23: unctiones & gargariſmata proſunt maximè ex ſaluia, glandiũ cupulis, roſis, balauſtijs et biſtorta coctis. Quidam pillulas ſic factas ordinant: Recipe caſtorei, rad. pæoniæ, piretri, & cum tyriaca fiant pillulæ. Exterius inunctio conuenit cũ oleo benedicto, uel Arragonis unguẽto, ſeu Marciato, uel oleo de caſtoreo. uel ungatur nucha cum oleo decoctionis piretri, ſaluiæ, cinamomi, ſinapis in duplici uaſe. Idem ualet gargariſmus ex decoctione cum aceto in qua myrtus, glandes, balauſtiæ, gallæ & cortic. granat. fuerint maceratæ. Cõſt. de morb. curand. cap. 6.

Ad uuulam leuandam.

FINIS.

ARNOL-

Claruit sub Alberto I. Imperat. circa annum Chr. 1310.

ARNOLDI CATALANI, QVEM DE VILLA noua quidam nominant, de Conferentibus & nocentibus membris principalibus humani corporis Tractatus, præcedenti haud dißimilis.

DE CONFERENTIBVS capiti.

EST sciendũ breuiter, quòd conferunt capiti seu cerebro, fœtida, ut in graui oppresſione cerebri, uelut in epilepsia, mania, minori apoplexia & suffocatione matricis, serenus aer, aloe, thymus, stichados, absinthiũ, uterq; helleborus, agaricus, colocynthis, sene, omnes myrobalani, somni delectabiles, cubebæ, carpobalsamum, camomilla, anetum, polium montanum, cyminum, ozimum, temperatum uinum, ruta, saluia, castoreum, sinapis, muscus, piretrũ, omnia aromatica, nux muscata, pectinari, ablutio extremitatũ, gaudium, moderatè bibere, inebriari semel in mense, somnus & uigiliæ moderatæ.

DE NOCENTIBVS capiti.

Lac & caseus capiti sunt inimica: & omne coagulatum ex lacte, sicut est butyrum & serum:

rum : & omnes fructus oleaginosi, & nuces amygd. auellanæ, pineæ : & cibum accipere priori non digesto, & balneare post cibum, & nimis uigilare: & omnia narcotica & somnifera, ut sunt lactucæ, papauer, & similia : zizania, & omnia inebriantia, nisi stomachus esset nimis frigidus : & omnes herbæ crudæ comestæ, posteriori cellulæ capitis multum nocent, ubi uirtus memoratiua uiget: similiter & somnus immoderatus, & uomitus laboriosus, eruca, nasturtium, cepæ crudæ comestæ, uidere & audire nō placentia animo, & dormire pedibus calceatis.

DE HIS QVAE CONFERUNT OCULIS.

OMnis tutia confert oculis, & collirijs oculorum. Et antimoniū ablutum, fœniculum, ruta, aloe, succotrinum sumptum in cibarijs, uel collirijs adiūctum: uerbena, quæ est in oculis uerè bona: sinapi, & acetum malorū granatorum: & cum uino odorifero optimo sæpe oculos apertos demergere, & in aqua frigida tempore æstiuo ipsos lauare, & omne fel animaliū & auium de rapina uiuentium, si collirijs adponitur: & uidere prata uirētia, & fluuios clarissimos decurrētes, et somnus moderatus, et ablutio manuū & pedū cū aqua calida tēperatè. Et custodire stomachū ab omni indigestione, & uidere loca spaciosa & montana, & obtu-

rationem naturalem in rebus nigris. Et maiorana est in oculis mirabilis medicina, si cocta in cibarijs comedatur. Item licium optimum est cũ felle humano & lupino mixtũ.

DE HIS QVAE NOcent oculis.

Fames, & ieiunium, & allium, & puluis, & fumus, lentes, fletus, niues, uentus, uigilasse, caseus salsus, lac, caseus nimis coctus, & pruna, cepa cruda: & omnia stupefacientia, ut opium, papauer, mandragora, hyosquiamus, & immensus usus lactucarum: & inspicere radios solares, & omne quod nimis intueri facit, & obdormire statim post cibum, & somnus immoderatus, & præcipuè calceatis pedibus, & intendere ad nimis subtilia, & constrictio colli. & frequens flebotomia basilicæ & cephalicæ, & uti frequenter basilicone & aneto.

DE CONFERENTIBVS auribus.

Confert auribus uitare calorem nimiũ, & frigus: quia utrunq;, auditum generat immoderatum. Item confert, ipsas mundare à sordibus cum ligno aloes, uel cũ instrumento aureo seu argenteo prouidè & cautè. Et caue ne aliqua res subingrediatur: & si fiat, statim subtrahatur cum chirurgico instrumento, uel cum suffumigijs calidis & siccis, uel cum oleo de amygdalis amaris, uel

rutaceo, uel cum uentosis: quia hoc multum cōfert, & acuit auditum, & expellit feces. Et ingenium ualde iuuat, somnus delectabilis, & capitis euacuatio cum pillulis de aloe, & castoreo, & gargarizatio facta de dianthos. Et multū confert incedere capite discooperto, tempore temperato.

DE HIS QVAE NOCENT *auribus.*

Nocet auribus frequens usus balnei humidi, & maximè primo fortis acuminis. Et uti sæpe substantia leguminum. Et aurium constrictio, & uentris constipatio, & strictio ac ligatura post aures, & aer uentosus, & oleum humidum: & si intus infundatur, & submergatur caput in aqua, & tortura frequens, & fortis crapula, & nimia cibi repletio, & fumus: & iacere supinum, & dormire calceatis pedib. tempore pluuioso, & discurrere tempore magni frigoris capite discooperto, & uti cibarijs multum grossis.

DE CONFERENTIBVS *dentibus.*

Confert dentibus, masticatio frequēs masticis, millefolij elixatum, ut de eius decoctione sæpe dentes lauentur intus et extra sine fricatione: & fricatio dentium & gingiuarum, cum sale communi, & sale gemmæ, & alumine de rocha combusta, idem operatur. Et raphanus masticatus mul-

tum confert, & cortex citri, & eius folia si ma sticentur, post cibum uel post prandium. & puluis factus de ossib. dactylorũ, & spongia una desiccata & abluta: folia leuistici masticata, & purgatio cerebri cũ pillulis cochijs, & minutio de uena cephalica, & in fontinella, & retro, & præcipuè cum gingiuæ patiuntur pruritum & dolorem cum timore. Et puluis rosarum, & mororũ cum mastice, est mirabilis medicina. Etiam masticatio cartilaginis carnis & sanguinis, dentes confortat cõmotos, si eius puluis confricetur.

DE NOCENTIBVS *dentibus.*

Frequens uomitus nocet dentibus, & potus uini frigidi ualde, uel aquæ, & crapula nocturna, & omnia acetosa, & mel, & lac, & omnis cibus de lacte factus, & ficus siccæ, & dactyli, & omnes fructus duri & immaturi, & omnia cibaria nimis calida, uel nimis frigida statim data: & omnia frixa, & panis antiquus aut calidus fortiter coctus, & dimittens limositates circa dentes: & omnia cibaria multũ uiscosa, & omnis caseus dentibus est uenenum: & crudum porrũ, allia, cepa, & omnia nimis acerba.

DE HIS QVAE CONFERUNT *pectori & pulmoni.*

Conferunt pectori & pulmoni recens butyrum, & mel, & liquiritia, & semẽ urticæ

urticæ, cum penidijs miniſtratum: & ſe-
men cicerorum, & melonis, ſi cum ſaccaro
ſumantur: & uuæ paſſæ in ſyrupis aut cibis
poſitæ, & ficus ſiccæ, aut recentes, aut amy-
gdalæ dulces, & dragagantum, & calamen-
tum, & carnes mediocriter craſſæ, & medul-
la oſsium, & farina fabarum cum lacte amy-
gdalato, & fœniculum cum lacte ouino, & ſe
mẽ lini, capillus ueneris ſyrupatus, & farina
cicerum cum lacte amygdalato, & pineæ co-
meſtę, & polytrichũ cum ouis ſorbilibus re-
centibus, carnes hœdi lactentis, & uinum na
turaliter dulce, & iſopus recens, & pulegiũ,
& pſilium, & origanum montanum, & enula
campana, & zuccarum cum melle cõditũ, &
omnia diuretica ad dulcedinem declinãtia,
& amygdal. amaræ, & allia elixata, & eruca
cum ſaccaro, & ſiler montanũ, & ſuccus cau
lium cum melle, & ſaluia parum cocta, & na
ſturtium, pulmo uulpis, coſtus, & ſerapinũ,
& galbanum, & oppopanacum in antidotũ
poſitum, & cerebrum caninum combuſtum,
& ſulphur, & auripigmẽtum ſi in electuarijs
ponantur, & moderatum exercitium uocis
ante prandium, & aſcenſus & deſcenſus uo-
cis moderatus, quia cãtus moderatus & ſua-
uis et delectabilis eſt cauſa bonę digeſtionis.

DE NOCENTIBVS
pectori.

Nocent pectori & ſpiritalibus membris,

omnia nimis frigida, aut nimis acuta & fortia: ut ſinapis & piper cũ allio, & omnis ſubſtantia leguminum, & multus uſus acetoſorum, & pulueres, & maximè pladi, & uomitus fortis, & uigilare, & dormire ſupinum, & immoderatum ieiunium, & cantus immoderatus, & omnis commeſtio immoderata, & potus, omnesq; fructus immaturi, & præcipuè acetoſi, & omnia pontica & ſtiptica, omnia fortiter amara, & omnes piſces & carnes per ſal nimis induratæ, quando trahunt ad raucedinem, & calidum æſtuans & immoderatum exercitium poſt prandium, & uentris conſtipatio, & omnis ſtomachi indigeſtio, & omne apoſtema epatis aut ſplenis, aut ſtudium immoderatum, & nimis loqui, & omnis cibus phlegmaticus, & oleum nucum, & uſus auellanarum, & caſtanearum, et caſeus uetuſtiſsimus & non pinguis, & aqua ualde frigida, & aer frigidus, & ſorba & meſpyla, et muſtum nouũ, et ceruiſia nouella, & thus & camphora.

DE CONFERENTIBVS *cordi.*

COr eſt membrum intus concauũ, amplum ſuperius, & inferius oblongum, habens duas auriculas, dextram & ſiniſtram: &, teſtante Galeno, eſt fons omniũ operationum rationalis uitæ, quia operationes animæ in cerebro incipiunt, & in corde ſuſci-

ſuſcipiunt complementum. Et ex illis quæ cordi conferunt, eſt moderata læticia & gaudium, & comeſtio frequens carnium ſylueſtrium, & cantus delectabilis, & amor, & oſſa de corde cerui, & diambra, & dianthos, & diarrhodon, & cryſtallus, & hyacinthus, & ſaphirus, & limatura argẽti, & been album, maximè mulieribus in corde patientibus ex retentione menſtruorũ: & hoc in partibus Hiſpaniæ ſum expertus. Et pomum crudum, & ſpodium crudum & combuſtum, & os ſandali, & muſcus, & gariofili, & galanga, & calamus aromaticus, & cubebe, & ſpica nardi, & ſquinantum, & cyperus, & caſsia fiſtula, & xiloaloes, & balſamita, & meliſſa, & maiorana, & propriè ſemen eius, & propriè triſtib. & melancholicis: & borago, & flores eius, quia mirabiliter ſanguinẽ mundificat ipſius cordis: & radix eius, ſtichados, & centauriũ, thymus marina, & lauendula, ſatureia, et bethonica, ualleriana et azarum, roſæ et uiolæ, lactuca agreſtis quæ dicitur endiuia, et cicorea, et ſcariola, in ſyrupo et antidoto, abrotanum et pulegiũ in balneis poſitũ, et origanum, et mentaſtrum, et cortex citri in bono uino poſitus: et omne quod corroborat ſtomachum, et purgat cerebrum, et melodię inſtrumenta cum uſu et tempore moderato.

DE NOCENTIBVS
cordi.

Nocent cordi omnes pisces sine squamis, & odor fumi putrefacti, & omnis substantia leguminum, substantia non cõfecta, uel cum corrigentibus eorum maliciam refrenata, & omnia acuta frequenter comesta, & omne prouocans nauseam, & omnis crapula, & omnia frixa, & timores, & tristicia, & sollicitudo nimia, & quæcunq; inducũt syncopim, & specialiter omnis febris continua, & uera tertiana, & duplex, & omnia apostemata spiritalium membrorũ, & nimium studium, & nimia cogitatio, & omnis dolor & tristicia diu recepta quæ rancor dicitur, & inde cor rancidum dicitur. Quicquid nocet spleni, nocet cordi: ars marmorea, & lapidea & uitrea, & bladorum mundatoria, & aqua ualde frigida potata, & anhelitus fœtidus ali cuius personæ, & iacere supinũ, & nimis uigilare, & nimis comedere, & balneare post ci bum, & bibere uinum in balneo, & omnis di splicentia, & quod animam tristem reddit: quia cor est uitæ principium, & terminus ui tæ, id est mortis.

DE CONFERENTIBVS
stomacho.

STomachus est paterfamilias totius corporis: quia illo se malè habente, grauiter se habent membra corporis uniuersa, & econuerso.

e conuerſo. Et ſtomacho conuenit omne me
diocriter compoſitum ſtipticũ & amarum,
& maſtix & thus, & ſpicæ nardi, & coſtus in
antidoto poſita, & ſpecialiter cinamomũ ele
ctum, & zedoaria, & zinziber, & ſtorax cala-
mita, & ſemen iuniperi cum melle cõditum,
& menta & oxyſaccara ſi ante cibũ ſumatur,
lignum aloes, & myrtillorum uſus, & corti-
ces citri, & ſpecialiter cõfert ſiler montanũ,
ſpodium & armoniacum, & ſerapinũ in pil-
lulis, & caſtoreum, & folia carpobalſami, &
xilobalſamũ, & rheubarbarum, & rheupon-
ticum in medicinis. Et confert galanga ſto-
macho, mel & cubebe, & berberis, & miroba
lani indi, roſæ rub. & pelliculæ ſtomachorũ
auium tritæ, & arilli uuarum paſſularum, &
malorum granatorum acetoſorum, & thy-
mus, fumus terræ, pulegium, calamentũ, ari-
ſtologia longa & rotund. in electuarijs & ti-
riacalibus cibis poſita. Et confert ſtomacho
camedris, ſinapis, bethonica, lauendula & a-
meos, & myrobalani, & ros marinus, & ruta
& ſemen eius, & baſilicon & ſemẽ eius, & fo-
lia lauri, & arthemiſia, & marrubium alb. &
iſopus in cibis poſita & comeſta, & panis me
diocriter fermẽtatus: & omnia quæ ſunt bo-
nę digeſtionis, & ſine multa ſtomachi remol
lificatione. & caules, & carnes hœdulinæ &
leporinæ, & ceruinæ, & cuniculorum, & om
nes carnes lactantes aſſatæ: & panis aliquan

tulum assatus, & in aceto submersus: & masticare diu in ore assa medullas habentia. & confert oleum factum de oliuis immaturis, & oleum nardinum & muscellinum, & laurinum, cōtra stomachū posita, & intus non: & oleum rutaceum, & masticis, supra stomachum ponátur. Item multum confert stomacho, non negare cibū dum famescit, aut cum multū appetit, & temperatè comedere, non multū potare, & post cibum parum sedere, pòst diu stare, uel suauiter incedere donec cibus in fundo stomachi descenderit. Ego expertus sum, quòd post somnū & cibum tres uel quatuor sternutationes faciunt cibum descendere ad fundum stomachi, & feces cibi præteriti inde salubriter expelluntur.

DE NOCENTIBVS *stomacho.*

Nocent stomacho, nuces auellanæ si comedantur in quantitate: & rapæ grossę, & pastinacę, & cucurbita, melones & radix raphani, & eruca, & nasturtiū, & usus omniū acutorum, & præcipuè ceparum crudarū, & uigiliæ, & anetū, & apium, & asparagus, & blegta, & attriplex, & semen sisami, & semen croci hortēsis, & elleborus, & lapis lazuli, & scamonea, & aloe non lotum, & squama ferri, & longus usus rerum diureticarum, & omnia frigida durę digestionis, & omnes fructus recentes, qui facilè corrumpuntur, ut persica, cerasa,

cerasa, mora & pruna dulcia, oleum in cibo magna quantitate, & quælibet cerebella & medullæ animaliũ frigidorum, & carnes pingues salsatæ, & pisces diu in sale indurati, & cibũ negare stomacho famelico & inanito, & omnis crapula cibi & potus, & caro rancida, & lac acetosum, & usus butyri, & pinguedo lactis, multa & diuersa fercula in eadem mensa sumere, nimis humida post cibum, & sedere & currere per loca inæqualia, & post cibum statim balneare, & omnes frixaturæ cum oleo, & omnia generantia fumositates, & omnia legumina non excorticata, & omnes pisces sine squamis, & frequẽs comestio pedum bouis, & oculi omnium animãtium, & omnia fœtida & grauis odoris, & omnes res corruptæ, & omnia quæ sunt menti & capiti abominabilia, & ablatio appetit9, & tussis, & omnis ira, & timor & tristicia nocẽt stomacho, et nimia sollicitudo, et uehemẽs animi affectus, et masticatio fortis panis azymi, et omnis distemperantia epatis tam in frigiditate, quàm in caliditate, et omnia emplastra membrorũ nutritiuorũ, et apostema intestinorũ, et omnis agresta non excorticata, et lampreda sine speciebus cocta, et omnes pisces in conchis manentes, et omnes pisces bestiales, et omne uinum insipidum, et omne uinum ultra modum lymphatũ, maximè stomacho frigido et humido, et frequens uo-

mitus

mitus ante cibũ, et diu ſedere in menſa poſt cibum groſſum et malæ digeſtionis, et maximè quando habet peruerſam et rebellem familiam.

DE CONFERENTIBVS *ſpleni.*

Splen eſt membrum ruſticale, collectoriũ humidorum & ſuperfluitatum hepatis & cordis. & dicitur ſcops naturæ, uel regio permundans membra nobilia à fecibus & ſuperflui tatibus ipſorum, quemadmodum ſcopa mundat domum. Et inter alia quæ conueniunt ſpleni, ſunt omnes myrobalani, quorum ſunt quinq; ſpecies. unde uerſus:

Citrinus, Kebulus, Belliricus, Emblicus, Indus.

Cappares in fructu & in herba, & ſene, & epithymum, thymus, ariſtolog. longa & rotunda in puluerẽ redacta, & in antidoto poſita: & elleborus niger, & lapis lazuli, & lapis armenius, & rheuponticũ, & agaricus, ſquilla aſſata, & in antidoto poſita: & in unguentis ſiler montanum, & magnes, & camomilla, pulegium & calamentum, & iſopus & crocus, & herba baſiliconis, & origanum, & lauendula, & ſiſimbrium, & fenugræcum, dialthea & butyrum, faxinus & tamariſcus, & aqua decoctionis ſalicis agreſtis, et cyminum, et ſerapinum, capillus ueneris, et centauriũ, et utraq; epatica, polytricũ, adiantos, lingua ceruina et ualleriana, et ſanguis hirci deſicca

tus

tus et puluerisatus, et pollicem perforare cũ phlebotomia facta in fine lunationis manus sinistrę uel brachij de uena hepatica, uel pedis sinistri sub cauilla in tempore autumnali : et uti aliquoties saluia parum cocta cum brodio ciceris, cum aliquantulo cinamomo.

DE NOCENTIBVS *spleni.*

Nocent spleni omnia quæ sunt frixa, et panis azymus, et omnia cibaria de pasta tritici in sartagine pręparata, et mel, et dactyli, et ficus, et uinum dulce, et lac acetosum, et mustum, et breuiter omnia oppilatiua, et cerasa, et coctona, et poma cruda, et caro porcellina, et agnina, & omnis caro auium in paludibus degentium, et caugrema et ostarde, et caro pauonis, et omne legumen in substantia sua, et caulis in substantia sua, et rapæ, et omnis splen cuiuslibet animalis: et omnis febris putrida, et specialiter quartana : et omnis aqua frigida, et omnis nimia comestio, et potatio nocturna, et frequens usus carnium assatarum, et dormire statim post cœnam. Et licet alijs membris conferat balneum, nocet tamẽ spleni. Et nocent spleni omnes carnes et pisces in sale nimis desiccati et indurati, et quicquid uentositatem grossam intra corpus generat.

DE

DE CONFERENTIBVS MAnibus & pedibus.

COnferunt manibus & pedibus & oculis & memoriæ, ablutio facta ex decoctione camomillę et bethonicæ, et abrotani, et aneti, & castorei cum rof. rubeis: ut rosmarinus in balneum positus omnibus membris confert, et usus spicæ nardi et fœniculi, et nucis muscatæ, et gariofili et cinamomi electi, et seminis feniculi et anisi, et ruta in balneis posita, et centum grana siue branchana, et folia iuniperi et lauri, et folia in oleis et ungnetis posita. et confert temperata fricatio, et rasura uolę manuum et pedum post balneum, et semper quando luna est in aquatico signo, uel humido, uelut in geminis, uel aquario, et piscibus et cancro, et quòd luna sit in sua exaltatione, et confert frequẽs mundificatio digitorum.

DE NOCENTIBVS PEDIBVS & manibus.

Nocent pedibus & manibus et memorię, dormire calceatis pedibus, & tarda pedum ablutio, & tarda fricatio eorundem, et ambulare cum paruis sotularibus et caligis confractis, præcipuè tempore pluuioso: et incedere per loca lutosa et paludosa nudis pedib9: et etiã ambulare discalceatum super stercora animalium, et præcipuè gallinarum, anserum et porcorum: et dormire supra cœmiterium

rium mortuorum, et pedes nudos ponere ſu
pra urinam canis, et omnium animalium ue
ſicam habentium: et pedes ponere diſcalcia-
tos ſupra pannum aut focum contaminatū
ſanguine. Et uniuerſis membris totius cor-
poris nocet, ſe multum appropinquare mu-
lieribus et hominib. contaminatis, ſicut ſunt
leproſi, ſcabioſi, et incarcerati, maximè qui
diu uerſati ſunt in carcere fœtido: et ſtare iu
xta illos qui febrem acutiſsimam patiuntur.
Vnde uerſus:

Febris acuta, phthiſis, pedicon, ſcabies, ſacer ignis,
Anthrax, lippa, lepra, freneſis, contagia præſtant.

DE IVVANTIBVS HEPATI.

CONferunt hepati, lignū aloes, ambra, camphora, ſed modica, ſquinantum, caſsia lignea, caſsia fiſtula, tamarindi, cinamomum, ſpica, aloe lotum, rheubarbarum, rheuponticum: crocus, ſed paruo uſu: fiſtici, ſandali omnes, berberis, ſpodiū, gummi arabicum, bdellium, os myrobalanorum, blacca biſantia, maſtix, gariofili, azarum, bacara, calamus aromaticus, carpobalſamū, xilobalſamū, carui, cubebe, zedoaria, amygd. amaræ: caſtaneæ, ſed paucę: glandes, eupatorium, abſinthium, lactuca agreſtis, ſcariola tam agreſtis quàm domeſtica, coſtum uuæ paſſæ: arilli uuarum, maximè acerbarū: arilli granatorum acetoſorum, acetum uini, & uuarum agreſtium, acetum pomi citri, & ma

li

li granati, & myrtilli, auellanæ, rosæ, oleū rosatum, farina ordei, semen scariolæ & lactucæ, succus solatri, cicorea, appium, fœniculum, lupini, coctana, pira, mespilla, sorba, rosæ recentes, cuscuta, memite, serum caprinū, aristologia longa, ireos, capill9 ueneris, politricum, epatica, scolopendria, herba acetosa, portulaca & semen eius, panis milij, fœnugræcū, bethonica, saluia, maiorana, plantago, lanciolata, ualleriana, nuclei persicorū & cerasorum, uinum stipticum, gaudiū, delectatio, caro hœdina, capreolina, perdicum, gallinarum, et omnia cibaria mundum et facilem sanguinem generantia.

DE NOCENTIBVS *hepati.*

Nocent hepati scammonia, aloe nō lotum, lapis lazuli, lapis armenus non lotus, & epithymus.

FINIS.

INDEX.

oculos

FINIS.

BASILEAE, PER HENRIcum Petri, Anno Salutis humanæ M. D. LX. Mense Martio.

ΖΩΟΤΡΟΦΕΙΟΝ, SEV LEPORARIVM, QVOrundam animaliũ quadrupedum & auicularum continens naturas ac proprietates, rem medicam concernentes: Per D. GEORGIVM PICTORIVM Villinganum, Doctorem medicum, & apud Cæsaream curiam superioris Alsatiæ archiatrum, uersu Elegiaco nunc primùm conscriptum, & in lucem editum.

Accedit Constantini Africani medici, quoque de animalibus elegantißimus liber: & Lippij Collẽsis, Oppiani poetæ Halieuticôn, siue de Piscibus tractatus, Scholijs eiusdem Georgij Pictorij Villingani breuiter admodum illustratus.

Annexo rerum omnium memorabilium ad finem Elencho.

BASILEAE.

NOBILI D. SIMONI AB PFIRD, ET CLARISS. DOMINO IOANNI FABRI, ET DOmino VVENDELINO Heß, *Iurium doctorib. ac Cæſareæ Maieſt. conſiliarijs, Dominis & Mecœnatibus ſuis, Georgius Pictorius S. D.*

ALIQVOTIENS, nimirũ bono zelo, carnium defectui cui nunc omnes fermè ſubſunt reſpublicæ, (nobiliſsimi & doctiſsimi uiri) regulis & certis præſcriptionib. mederi ſtuduiſtis, conſiderantes qualis cùm primatum tum uulgarium iactura ſit, in macellis nullas uenũ comparuiſſe carnes: quando caro, quoquò uerſum quis uenerit, cibus omnibus cõmunior habetur. Sed quia incaſſum uos laboraſſe, uel lippis conſtat, ob deperditum, ſeu faſtuoſum potius, in multis locis, diebus illicitis carnium eſum: ego alia uia rem tentandam ſtatui, ne cũ multis, Domini mei, quibus uberiorem fortunam exoptandam habeo, & huius defectus incommoda patiantur: atq; uobis Ζωοτροφεῖον

iſtud ad manus aptaui, ut quiſque uelut ex Copiæ cornu inde quicquid uoluerit, ſibi eruat, carnem ferinam, bubulam, porcinam, agninã, hœdinam, & altiliũ omne genus. Sic enim facilè macellum uos poſſe negligere ſperabo, & etiã Ornithonen, hoc eſt forum noſtrum auiarium quo Enſishemij uiuimus. Accipite igitur nobiliſsimi & doctiſsimi uiri, hoc qualequale eſt Leporarium: exin uiuite & lautè & genialiter, Iacobo Aprili bonarũ artium magiſtro, qui etiam delicati oris eſt, partem cõmunicantes. Vnde alij, qui carnes eſuriunt, commodè uiuãt, ὢ φροντὶς ἱπποκλείδῃ, ſi modò uobis conſultum uidero. Valete clariſsimi uiri: & has noſtras lauticias, non omnino Cyclopeas, æqui boniq; conſulite. Datum Enſishemij, anno Saluatoris nati ſeſquimilleſimo ſexageſimo, die menſis Aprilis primo.

PARAENETICON AVTORIS ad librum suum, ut domi maneat.

Cur liber ire paras procul? cur pergere gliscis
Limine de nostro? mox doliture nimis?
Cur modò doctorum tersas lustrare coronas
Affectas? Docti non tua scripta legent.
Aut si fortè legent, rugosam ostendere sannam
Videbis, nasum Rhinocerotis item.
Namq; Aristarchi paßim sunt, atq; Platones,
Atq; foro in omni latrat uterq; Cato.
Quò liber, à cũctis quò despiciende laboras?
Qui piperis nigri sordida uestis eris.
Qui tineas pasces, quem te mercator ab urbe
Vinctum transmittet pharmaca innexa tibi.
Ergo age nunc monitus, patris ambitiose libelle
Tugurium inhabita, seu patris usq; domum:
Mente tenens prouidus, quàm sit tibi curta suppellex,
Atq; angusta domi uel tibi sarcinula.
Actum est ex toto de te: mihi crede, peristi,
Si linquis demens tecta paterna semel.

ΖΩΟΤΡΟΦΕΙΟΝ,

SEV LEPORARIVM, QVOrundam animalium auicularumq; continens naturas ac proprietates, rem medicam concernentes: per D. GEORGIVM PICTORIVM Villinganum Doctorem medicum uersu Elegiaco conscriptum.

DE LEONE. CAPVT primum.

EST animus, lector, naturas scribere uersu
Brutorum: faueat si modò Calliope.
Et dum præualidum regem patet esse Leonem,
Consultum est, primas quòd leo poßideat.
Hic igitur uires cunctas in pectore seruat,
Quîs domitat ualidus, quæ sibi præda, feras.
Ossa tenet tam dura quidem, quòd more pyritis
Ignes elidant impetuose uagos.
Et sit crudelis quamuis, tamen ipse ueretur
Ignem, cristatam temporis & uolucrem.
Hicq; solet multos saluus numerare decembres,
Dentis defectu quod bene percipitur.
Calidus in primo est, siccus Leo certè secundo:
Indomitos rictus qui tenet inde suos.

Leo rex animalium.

Leonis ossa dura.

Gallũ timet & ignem.

Leo senescit.

Quia cholericus, ferus est.

Si

Si illineas tumefacta feræ modò membra cruore,
Decrescit lento uel tumor iste gradu.
Et pellem narrant aduersus fulmina tutum
Reddere, quàm castum si modò se teneat.

Sanguis medetur tumori.

Pellis contra fulmen.

DE LEOPARDO.

Cap. 2.

ORitur ex Pardo Leopard, diraq́ Leæna,
Distinctā maculis qui tenet ecce cutē.
Quadrupedes gaudent uaria tam pelle colorum,
Illas sed dirum territat usq́ caput.
Hic trahitur uini multum dulcedine, casses
Sunt illi fortes, Maßica pocla nimis.
Et quum diuersis tentantur corpora morbis,
Natura adornat pharmaca certa tibi.
Testis & hinc fœdus Leopardi menstrua causat
Dexter commansus, sed madefactus aqua.
Si cerebro erucam cum lympha adiunxeris, istud
Duricies stericas pro ratione sedat.
Inuida si maculet faciem lentigo decoram,
Seuum daphnileo consociato feræ.
Namq́ hoc unguento maculoso ex ore fugabis
Sordes, uel rugas pellere sic poteris.

Animalia leopardū amāt.

Leopardus uino gaudet.

Testiculus dexter menstrua ducit.

Cerebrū matricis duritiē curat.

Seuū leonis contra lentiginem.

DE CERVO

Cap. 3.

DE ceruis Scythicis multum si scire laboras,
Quid scribāt docti perlege scripta solers.

Cerui luxuriosi. *His tribuit magnum Veneris natura furorem*
Ipsa potens, certo tempore quem satiat.

Quando cerua concipiat. *Arcturi non ante diem fit fœmina prægnans,*
Sic etenim rerum perdocet ordo bonus.
Abscondit partus inter fruticeta recentes,
Fortes dum moueant pro ratione pedes.

Cerui pullos erudiunt. *Cursibus inde docent, saltuq́ per auia mortem*
Effugere, & catulos non timuisse leues.

Cerui acutissimi auditus. *Auribus arrectis nihil esse auritius illis,*
Submißisq́ nihil surdius esse ferunt.

Voces hominis & fistulas amat. *Humanas uoces, mirum est quàm maximè captet,*
Et quicquid dulci fistula ab ore canit.

Ex cauernis serpẽtes odoratu trahit. *Naribus ex antro ceruus trahit, atq; colubros,*
Dictamno infectus se medicatur item.

Ceruus sibi medicus. *Et quotiens æger pernoxia gramina sumpsit,*
Vescitur hic cinaræ frondibus, & reualet.
Has nec despicias, lector, ramosa medelas,
Quas tibi fœlices cornua ferre queunt.

Cornua usta epilept. produnt. *Namq; tibi morbum retegent exusta caducum,*
Et faciunt natrix quòd ferè nulla manet.

Cor uenenis medetur. *Si capis hinnulei cæsi de uentre recentis*
Corcula, non oberunt ulla uenena tibi.

Medulla rigorem febrilem pellit. *Deq́ suis faciunt medici linimenta medullis*
Optima, cum feruens corpora febris habet.

Cinis ex cornu dentes curat. *Ceruino ex cornu cinis, en, si fortè laborant*
Exesi dentes, rectè medetur item.

Si lumbricus edax laniat præcordia morsu,
Cerui Democritus cornua danda putat.
Et Rhases uirgam cerui dare toxica suadet
Gustato, auxilium quæ bene contribuat.
Dentibus ex paucis, uel nullis, disce senectam,
Quo senij signo certius esse nequit.
Si quæras uitam, nil est uiuacius illis:
Monstrat Alexãdri quod tibi torquis honos.

Cornu lumbricos necat.

Virga contra uenena.

Dẽtes annos cerui ostendunt.

Cerui annosi.

DE ELEPHANTE. Cap. 4.

INdia ter magnos nutrit fœlix elephantos,
Exiguos etiam nigra Sabæa fouet.
Inter quadrupedes elephas est clara propago,
Quæ uenerem admittit uel sine teste suam.
Vsq; tenet fœtum ternos in uentre decembres,
Quem sine collega fundere certè solet.
Annos biscentos complet, proboscide uiuens
Vice manus, casses qua superare potest.
Decoctum carnis mira uirtute elephantis,
Vulua proscribit fœmineas soboles.
Naribus immissum fel curat rectè elephantis
Herculeos lapsus, Phœbigenúm ue malum.
Stercus item pellit Pherecydis fata tragœdi,
Si caput abluitur deliciose satis.
Si molles iecoris fibras dolor angit, & isti
Addas de spodio, porrigis ecce manum.

Elephas in propatulo nõ coit.

Ad triennium utero gerit.

Ætas cc. annorum.

Párere facit decoctum.

Fel elephantinũ caducũ morb. curat.

Stercus pediculos abigit.

Spodium ad iecur.

DE VRSO.

Cap. 5.

Vrsus primò non est fera, sed caro.

Est male uiua caro, part⁹ quē reddidit ursa
Iam primùm, linctu fit tamen ecce fera.
Affrica mittit eos, fouet & Germania multos,
Diros sed narrant maximè Numidicos.

Vrsæ partus muris instar.

Quinq; simul catulos producit fœmina partu,
Qui murem paruum corpore uix superant.

Somno crescunt ursæ catuli.

Tempore quo somno præmuntur pignora, ualde
Succrescunt, pingues efficiuntur item.

Casum capillorum adipes imped.

Illis sunt adipes medicinis certè salubres:
Nam retinent, mirum, defluuium capitis.

Fel præcordiis ualet.

Languida si duro turgent præcordia morbo,
Fel bene mundificat, subleuat atq; nimis.

Sepum facit prudentem.

Illinat ex sepo faciem quis, redditur inde
Cordatus: Rhases perdocet istud Arabs.

DE LVPO.

Cap. 6.

Atq; lupos Zephyri populus transmittit in (orbem,
Villosos multū, monstra stupēda satis.

Lupi uisus raucedinem parit.

Horum namq; docent uisum multum esse nociuū,
Quod spectatori guttura rauca facit.

Lupus ad dextram bonum.

Augurium ad dextrā præbet lupus ipse salubre,
Ad læuam dirum terq; quaterq; malum.

Esuriens terrā comedit.

Hic quoties, notus mira feritate famescit,
Pamphagus ex terra se satiare solet.

Bellua dat corium, uentris quod tormina soluit:
Dat uirgam, celerem quæ minuit uenerem.

Coriũ colicæ mederi, uirga uenerẽ imped.

Pulmo lupi tritus tollit suspiria & asthma,
Corrupti iecoris sed mala tollit hepar.

Ad difficult. anhelit. pulmo.

Fel naribus iunctum tremulosa membra caduci
Erigit, acceptum coniugibusq; facit.

Fel caducum erigit.

Testiculum dextrum mulier si sumpserit effrons,
Curat legitimas sollicitare faces.

Testiculus mœcham rectificat.

Cauda autem muscas abigit sub limine tecta,
Atq; oculus dexter non timuisse facit.

Oculus dexter audacem facit.

DE APRO.
Cap. 7.

NOn Macedo tot spumantes per inhospita (tesqua
Mittit apros, pugnax quot bene Germa (nia.
Hic erigunt setas similes hastilibus altas,
Instar elephantis dentibus & dimicant.
Illis spuma fluit, riget illis & horrida ceruix,
Atq; oculi tanquam sidera nocte micant.
Et medicas auget tam bellua dira salutes,
Toxica nam cerebrum pellere quippe solet.

Apri cerebrũ cõtrauenena.

Curat & anthracem, dictus qui nomine carbo,
Quem modo testiculos progenuisse notas.

Contra antracem in pudibundis.

Commestumq; iecur pergit uiduare sopore,
Lethargos: pulmo Bacchica pocla leuat.

Iecur lethargos excitat, & pulmo contra ebrietatẽ.

In hominis uesica quidem conuertitur humor

In

In saxum: frangit quem lapis, ecce, feræ.

Lapides ex iecore apri contra harenam.

Namq; iecur rupes animantis sæpe uolutat,
Quas bene contritas saxifragas recitant.
In collo duros generat natura tumores,
Strumas rectè suo nomine quippe uocant.

Fel cõtra strumas.

Hos fel gustatum curat, splenisq; tumorem
Tollit, cancrosis uulneribusq; ualet.

Vesica lecti mictum prohibet.

Si uesica quidem commansa uorabitur, exin
Arcetur turpis minctio sæpe thori.

Fimus contra sang. fluxum.

Si immodicus pleno manat de corpore sanguis,
Aprinum fimum subuenit arte cito.

DE HIAENA.

Cap. 8.

Hiena sexum per annos mutat.

APhrica spinosã dat, quod miremur, hiænã:
Quæ sexũ mutat fœmina masq; simul.

Pastores hiæna decipit.

Exemplar fraudis pastoribus usq; nephandum,
Dum flet, dum simulat uerba dolosa hominis.

Collo nascitur absq; semine.

Absq; uiri hanc, collo uilloso, semine nasci
Narrant, quod renuit doctus Aristoteles.
Vt sibi constaret facilis natura, medelas
Exin monstrauit, lector amice, bonas.

Lapis Hiænæ ad quæ.

Nam datur ex oculis lapis extollendus Hiænæ,
Distinctus næuis, qui modò nocte micat.
Fatidicum numen memorant inferre gerenti,
Sub lingua lotus si retinetur idem.

Iecoris coctũ cõtra febres.

Et iecoris coctum medijs sorbere diebus

Immul-

Immulcant, febres si patiatur homo.
Sæpius ocultus uicta coxendice morbus,
Turbat, quem tollit bellua corde suo.
Subueniunt oculis dira calligine preßis,
En latices fellis bestia quos retinet.
Qui linguam portat calcatam pollice plantæ,
Hunc catulus rabidus lædere nullus auet.

Cor medetur coxendici.

Fel oculos sanat.

Lingua contra canem rabiosum.

DE CASTORE.

Cap. 9.

AMphibius castor cupiens euadere damna,
Se uiduat scißis testibus ipse suis.
Hincq́ suum captat castor sibi nomen, & inguen
Hoc medici seruant, castoreumq́ uocant.
Dente uibrãs castor truncum succidere magnum
Quippe solet, quem tunc aptat & in casulam.
Sedq́ homini medicas manus hic porrigere fertur,
Amphibius multum, pharmaca multa quoq́.
Cum uino epotum soluit quos luna fatigat
Castoreum, soluit languida membra simul.
Est quidam morbus lethargus nomine dictus,
Hunc tollit fœdum maximè castoreum.
Cuncta uenena abigit cũ succo Doridis, aut cum
Lacte bono exhibitum tresúe duosúe dies.

Castor, à castrando.

Castoreum quid.

Castor arborem truncat.

Castoreũ contra morb. caducum.

Contra lethargum.

Venenis est bezoar.

DE LEPORE.

Cap. 10.

QVodq́ lepus timidus sexũ permutat in annos,
Dicendus

Lepus hermaphrod.

Dicendus uarians Hermophroditus erit.
Belluis est cunctis ter maxima, crede, rapina,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

In Alpibus lepores candidi.

Hicq; homini præbet multarum commoda rerum,
Alpes quem mittunt candidulum leporem.

Esus leporis formosum facit.

Nam mandit carnes leporis, qui mirè uelocis
Formosus septem rectè diebus erit.

Coagulũ fœcundam facit.

Irrita coniugij sterilis si munera languent,
Fac leporis uuluam fœmina quòd comedat.
Sic natura potens medicamine uicta salubri,
Dat fœtus, lecti pignora quippe tui.

Cerebrũ dentes facilitat.

Et teneris cerebrum gingiuis perlue gnati,
Quem dens excruciat morbifer usq; malè.

Sanguis fluxum sistit.

Si lædunt medica data purgatoria dextra,
Da leporis sanguen, qui citò sistet anum.

Decoctũ podagrã curat.

Doctus nodosam qui uult curare podagram,
Exhibeat leporis iuscula cocta citi.

Pulmo oculis prodest.

Sed dolor immeritum lumen si fortè lacessit,
Pulmo feræ poterit noxia proscribere.

Cor quartanam pellit.

Lætali quæ grassatur quartana calore,
Cor tritum leporis postulat ista sibi.
Aut bene dasypodis diluta coagula morbum
Hunc tollunt medica crede, parata manu.

DE VVLPE.

Cap. II.

Astutum est animal uulpes: ut fallere possit

Omne

Omne genus uolucrum, se tegit ipsa luto.
Insidiasq; parat, non ui, sed fraude latenter,
Ventriculum uacuum quòd satiare queat.
Continet & uulpes in se tot pharmaca, quiuis
Aēcauta ut cupiat morbidus æger opem.
Vulpis pulmo etenim tußim & præcordia sanat,
Fumo suspensus, p uluerisatus item.
Palladioq; liquore fera hæc decocta fit unguem,
Artheticis quod nam membra anodina facit.
Stercoris & modicū mēbro superungito, curat
Hoc uenerem turpem, quæ modò preßa iacet.
Fœcundam testes sterilem perficere poßunt,
Si comedat tritos fœmina quippe duos.
Siq; locos mulier fellis fundamine tangat
Vulpis, uesano concoquit igne uirum.

Pulmo uulpis tussi subuenit.
In oleo decocta facit unguentum.
Stercus membrum erigit.
Testiculi fœcundam faciunt.
Fœmina felle ligat maritū.

DE LYNCE.
Cap. 12.

LYncas mammosas Nilotica terra tuetur,
Eximÿ uisus, sed feritate malas.
Vertitur in lapidē quod stillat ab inguine Lyncis,
Lyncurium dicunt: sic Theophrastus ait,
Affirmans ipsum stomachi placare dolorem,
Ac uentrem mollem sistere posse nimis.
Ictericis etiam priscum reuocare colorem,
Et ferrum narrant ducere posse quoq;.

Lynces Niloticæ mammosæ.
Lyncurius lapis ad quid

DE

DE VRO.

Cap. 13.

Multũ uillosos pascit Germania pugnax,
Et ualidos uros, mõstra stupẽda satis.

Vri descriptio.

Bestia uasta quidem est Vrus, sed cornibus uncis,
Quæ nigrum, hirsutã et corpus habet faciem.
Pendula promissis gestat palearia uillis,
Quîs strumæ in morem guttura crassa tumẽt.
Cornibus elatis uenientem occursat in hostem,
Et iacit in cælum corpora prensa uagum.
Arboreos truncos, annosaq; robora, quercum
Ventilat, & uibrat cornibus ipse suis.

Ex cornibus pocula.

Cornibus utũtur, Zephyri qui maximè mundum
Inhabitant, mensis pocula quòd faciant.

Lac mollit.

Sæpe cibis duris restricta morabitur aluus,
Quam fluidam reddit bellua lacte suo.

Bezoar lac est.

Quodq; etiam cunctis narratur cura uenenis,
Vulneribusq; malis, putridis atq; nimis.

DE CAMELO.

Cap. 14.

Mittunt enormem Nabathæi certè camelũ,
Pro sella in dorso tubera qui retinet.

Camelus turbat aquas.

Qui nisi turbatas bibit undas arte Camelus,
Et suffert luces quatuor usq; sitim.

Centum complet annos.

Lustra quidem bis dena facit si fortè camelus,
Dicitur hic uitam continuasse suam.

Ab-

Abſcondit furtiua uenus quæ facta patrare
Præcipit, & ueneris ſpurcida caſtra fugit.
Morbum qui currit dubiæ per tempora lunæ,
Beſtia cum pingui mutilat ecce ſuo.
Siq́ fluat nimium ſtillantis impetus alui,
Dens tritus curat, noxia fata, feræ.
Commoda captantur multum de lacte cameli:
Nam reſerat clauſum, credito mihi, iecur.
Et ſi fortè nimis reſtricta morabitur aluus,
Vrinam guſtes quam fera curua dedit.

Non palàm coit.

Pinguedo caducos curat.

Fluxui dens medetur.

Lac deoppilat hepar.

Aluum impeditam ſoluit urina.

DE TAVRO.
Cap. 15.

ET qui ſepteno lambentem flumine Nilum
Inhabitant, Tauro numen ineſſe putãt.
Nomine quod patrio genti uocitatur Oſiris,
Quòd primus tauro ſollicitauit humum.
Bis duo luſtra quidem, non plures, conterit annos:
Fortior eſt quinto, plusq́ laboris habet.
Quis neget hic ualidam, quis non natura beatã?
Ex tauro tribuis quæ bona tanta rudi?
Cornu taurinum ſerpentes pellere fertur
Exuſtum, pellit noxia quæq; nimis.
Balſama cum fellis permixta cruore malignos
Viſus, per lanam quam bene rectificant.
Sanguis taurinus ſiccatus lumine Phœbi,

Taurus Oſiris.

Ætas tauri.

Cornu ſerpentes fugat.

Fel oculis.

Sanguis podag. curat.

Mulcet perductus noxia magna pedum.

Vrina ad morſ. ſerpẽt.

Siq́ ſariſſæa ſerpens te foderit haſta,
Vrina tauri uulnera tange trucis.

DE EQVO.

Cap. 16.

In Ponto optimi. equi.

PRopter equos primas retinet plaga Pontica *(fortes,*
Indomitos poſt hanc Barbara Zona tenet.

Equi qui optimi.

Indomitos, fortes, pulchros hos rectè caballos
Dicas, qui ſtrepitus pertimuiſſe negant.

Sic Maro.

Qui fluuio ignoto ſeſe committere primi
Non horrent, qui ignem naribus eijciunt.
Argutumq́ caput quibus eſt, & pinguia terga:
Ardua uel ceruix, uel breue corpus habent.
Denſa iuba, et dextro iactata recumbit in armo,
Vel quibus euibrant lumina magna duo.

Equus limpida odio habet.

Turbatas diligit, ſed claras calce ſubinde
Turbat equus lymphas, limpida tardè bibit.
Annoſi effecti dentes acquirere narrant
Candidulos, uiuunt ſeptuaginta hyemes.

Vt agiles ſint equi.

Atq; agiles redduntur equi, ſi fortè lupato
Vſq; lupi dentes iunxeris ecce duos.

Qui equi dominos ſuos amauerint.

Ammiſſos dominos narrant luxiſſe caballos:
Dictator Cæſar, uel probat id Macedo.
Necq; tamen credas Phœbum uidiſſe caballos
Immitem, oſtendam commoda nunc medica.

Com-

Compeſcunt igitur diluta coagula morbos,
Et dyſſentericos, cœliacosq́ ſimul.
Enectos fœtus proſcribunt ſtercora matris
De ſtera, atq; molas tormina fœminea.

Equi coagulum ad dyſenter. Mortuos fœtus ſtercus expellit.

DE ASINO. Cap. 17.

POenurias ſuffert, et uerbera tardus aſellus:
Semper & eſt ſanus, ni frigus obſit ei.
Arcadicos Græci iactant, quod ferre labores
Præcipuos ualeant, longius atq; degant.
Luſtra quidem uiuens ſex complet ſurdus aſellus,
Annum ſed Ponto uiuere poſſe negant.
Nec natura potens uult nos neſcire ſalutes,
Quas homini condit pandus aſellus item.
Inuida ſi maculet quoniam nunc lepra decorum
Vultum, tunc confert en caro manſa feræ.
Atq; iecur toſtum redimit de morte caducos,
Et lotium epotum ſaxifragum referunt.
Si fuerit multo naris completa cruore,
Fluxum compeſcunt ſtercora ſicca aſini.
Infantum cunas pellis uilloſa defendit,
Horrificosq́ metus pellit & iſta ſimul.
Vt poſsis dirum febris proſcribere damnum,
Aeſclapius ſanguen lingere certè iubet.
Lac iuuat incoctum pulti, ſumptumq́ teneſmon,
Ac urina feræ lentiginoſa rapit.

Frigus obeſt aſinis. Arcadici diutius uiuunt. Aſini ætas. Caro aſini lepram ſanat. Lotium calculum frangit. Stercus ſanguinem ſiſtit. Pellis infantum timores abigit. Sang. linctus febres curat. Lac teneſm. Et urina lentig.

DE MVLA.

Cap. 18.

Fert equa per ſurdum mulos, ſi credis, aſſellũ
Præcipuos paſcit Phrygia quos facilis.
Mula parit nunquam, ſed Ponti natio mittit
Fœcundasq; ſimul Cappadocum regio.

Ætas muli. Bis quater undenos mulum complere decembres,
Narrant & græcos conſtabulaſſe ſenem.

Coriũ ſordida abſtergit. Auxiliatrices mulus nec impedit artes,
Ex corio tritum ſordida namq; iuuat.

Vngula ſteriles facit. Et unguis raſum mulier ſi ſumpſerit, inde
Irrita coniugÿ munera, crede, feret.

Et mures abigit. Vngula ſi fumat, mures de uilla coercet,
Atq; eadem turpem curat alopeciam.

DE CAPRA.

Cap. 19.

Sicilia lanoſas capras. Capra gerit ſetas quã dat Germania, Sicla
Lanoſam profert, uitibus atq; malam.

Capra pulegio gaudet. Capram ſi tangat furioſo cuſpide ſerpens,
Pulegio manſo ſe medicare ſolet.

Ventus ſeptẽtrio dat maſcul. Quæ frigidam Zonam ſpectat, ſeptem'ue triones,
Dum uenerem tractat, maſcula dat genere.

Auſter fœmi. parit. Auſter quã tangit, ueneris dum munera curat,
Fœtus progignit fœmineos pariter.

Ætas. Eurus dat capras undenos ritè decembres
Complentes, octo ſed bene Germania.

Anhe-

Anhelitusq́; trahunt nostrates auribus, ore
Non tantum, febri nulla carere potest.
Est animal surdum, sed pharmaca tuta ministrat:
Namq; hepar exectum noctilopas abigit.
Cornu ustum capræ dentes bene purgat ab omni
Sorde, quidem fumus curat alopeciam.
De capra dulcis compressi copia lactis
Hyblæos morsus uincere certè potest.
Immodicus naso manat si sanguinis himber,
Pilum caprinum concinerasse ualet.
Prodest, interno cum uiscere tinea serpens
Diuexat, turpis ungula facta cinis.
Erigit & pellis confestim scabra caducos,
Quos capræ sternunt iuscula cocta hepatis.

Per aures anhelant capræ.
Hepar capræ noctilop. curat.
Cornu ad quæ.
Cõtra apum morsus caseus.
Ad sangui. fluorem.
Cinis ex ungula.
Pellis erigit, quos hepar sternit.

DE PORCO.
Cap. 20.

IN cœno porcus uiuit, quòd sordidus inde
Dicitur, & fœdus, spurius atq; uagus.
Quem deuorat uictum, pro sexta parte uenire
Narrant in setas, sanguinis atq; alimen.
Porcam bis denos iunctim progignere partus
Posse quidem fama est, spermatis ob copiam.
Aetatem iustam complens trieterida uiuit
Quinq;, uelut scribit doctus Aristoteles.
Mas quum sollicitat ueneris certamine porcam,
Aures si pendent, appetit illa uirum.

Porcus spurius.
Sexta pars cibi in setas.
Viginti porcellos unico partu.
Ætas porci.

Sanguis porci mundificat.

In porca multas, mihi credas, esse medelas:
Namq; cruor mundat uulnera letifera.

Si calceus pedem læserit, pulmo.

Pulmo prodest, læsit corium si fortè pedestrem,
Atq; adipes curant pectoris alta loca.

Stercus contra sang. fluxum.

Non pudeat luteæ stercus perducere porcæ,
Si nasus sudat sanguineum laticem.

DE CANE.
Cap. 21.

Non tā laudatur doctis fabulosus Hydaspes,
Quàm celerem cantāt in Helicone canē.
Dat celeres Anglus, magnos dat Gnosia terra:
Sparta quidem nigros, India dat graciles.
Velocis plantæ cunctos agitare trementes,
Et lepores, ceruos, capreolosq; leues.
Omnibus his scribunt natura inesse catellis,
Quòd dominos redament terq; quaterq; suos.

Canis Lysimachi cū domino cōbust.

Lysimachi regis docet id leuis iste catellus,
Cum domino acceptans magna pericla pyræ.
Aesonidis docet id fidus, mihi crede, Melampus,
Ammisso domino uescere qui noluit.

Asbalus semper cū domino fuit, Plin.

Bithyniæ regis memoratur & Asbalus atris
Villis, Sabini concatenatus item.

Euomere docuerunt canes.

Et fama est, uomitus primo induxisse catellos
Curam, quum gramen commederat catulus.

Dens & uerbena in calceo.

Latratus abigit canis & dens usq; catelli:
Ac uerbena quidem tecta, sed in corio.

Ex utero excludit partus lac atq; catelli
Haustum, sed sanguen membra caduca iuuat.

Lac diureticum est.

Vulnus atrox rabidi si te canis inficit ægrè,
Marrubium costum bezoar ecce dabit.
Atq; hederæ succus quæ truncos implicat altos,
Siue nuces Ponti cum sale candidulo.

Aduersus morsum canis.

DE TALPA.
Cap. 22.

ASt oculis captæ fodisse cubilia Talpæ
Sub terris gaudet, sed mage proboscide.
Lumbricis terræ uescuntur, noxia pratis
Damna, & uillaticis cura, laborq; grauis
In cinerem combusta fera hæc, ac illita cæca,
Oui cum liquido, curat & ista lepram.
Caluiciem tollit cruor & superillitus, atq;
Caluam proscribunt stercora alopeciam.

Talpa incinerata contra lepram.
Stercus medetur alopeciæ.

DE MVSTELA.
Cap. 23.

PRælongum murem mustelam dixeris esse,
Qui uirus fundit maximè letiferum.
Hanc medicam ueteres dixerunt, namq; fideles
Pullos enectos uiuere certè facit.
Ostenditq; simul uenenosa expellere posse
Mirificè rutam, si bene mansa foret.
Nam comedit rutam, quũ uult certare solerter
Cum Dypsis, melius sic gerere arma potest.

Mustela medica.
Rutæ usum docuit.

Mustelæ ore concipiũt, & auribus pariunt.

Mustelas dicunt oris concipere rictu,
Auribus & partus mirificeq́ dare.
Sed quis cuncta uelit per cribrum credere dicta?
Multi multa quidem dicere sæpe solent.

Pelle propria suum ictum curant.

Pellem mustelæ narrant curare salubrem,
Ictus quos truces intulit ipsa fera.

Contra elephantiasim.

Mustelæq́ cinis, seu fusus sanguis ab illa,
Certè elephanta ponunt, addito daphnileo.

DE RANIS.
Cap. 24.

ATq́ coaxantes libet hic describere ranas,
Certum futuri temporis indicium.

Rana uates.

Namq́ paludosa clamans ex arbore uoce,
Imbrem prædicit pro ratione satis.
Continet hæc homini tenuis bestiola quædam
Pro fructu multum pharmaca proficua.

Contra dentium dolores.

Exesos dentes etenim si fortè queraris,
Linguæ decoctum sit tibi collutio.

Contra tussim.

Frenabisq́ grauem facili medicamine tussim,
Decoctum ranæ si calidum dederis.

Contra arteticam.

Inq́ oleo macerata diu tam bestia myrti
Articulos curat, quos dolor altus habet.

Ad sacrum ignem.

Est etiam morbi species quæ dicitur ignis,
Rana hanc proscindit, dum super est posita.

Aduersus panaricium.

Suspensa & pellit Pherecidis fata tragœdi,
Ac uermem in digito spermata tetra leuant.

DE FORMICA.

Cap. 25.

Dum calor est, & pulchra dies, formica laborat,
Ne pereat dum nix uenerit alta fame.
Victa ergo fruitur, quũ iam capricornus in axem
Vergit, quum residens esurit agricola.
Nidus formicæ steram bene mundat ab omni
Sorde, quidem steram tina uel inde lenit.
Oua indefeßam Venerem producere poßunt
Graniferæ, poßunt mansa iuuare uirum.

Matricẽ mundificat nidus.

Oua formicę uenerem augent.

DE SALAMANDRA.

Cap. 26.

Et salamãdra potens nullis obnoxia flãmis,
Bestia Vulcanũ quæ uelut unda domat.
Hæc retinet uires tantas, quòd poma tenella
Arboris aspectu lædere quippe ualet.
Est & psillotrum, capitis'ue nouacula, crines
Lumine cõuellens, tam salamandra mala.
Si feceris unguen salamandræ sanguine factum,
Nocticolis mixtum, pellit ab ore lepram.

Salamand. ignem extin.

Aspectu poma lædit in arbore.

Visu psillotrum est.

Cũ cãtarid. lepr̨ medetur.

DE BASILISCO.

Cap. 27.

Rex est serpẽtũ Basiliscus, quẽ modò uincũt
Mustelæ insultus, sæuaq́ bella feræ.
Lernæum uermem Basiliscum fœda Cyrenæ

Basiliscus mustela superatur.

Producit, cunctis maximè perniciem.

Basilisc. ex ouo galli.

Et nasci ex ouo galli (si credere fas est)
Decrepiti, in fimo sole nitente, docent.
Sed quoniam olfactu lædit, uisuq́ ferarum
Omne genus, credas, nulla tenere bona.

DE SCORPIONE.
Cap. 28.

Horrendū est animal sed Scorpius, ecce ue-
obliquo mittit uulnere semper idem. (nenum.

Vnde scorpius nascatur.

Ex ouis nasci docti rerumq́ periti
Narrant, complures tam mala damna feræ.
Quidam per cancros, dum chelas dempseris, aiūt
Progigni: Naso id carmine certe docet:

Naso.

Concaua littorei si demas brachia cancri,
Scorpius exibit, caudaq́; minabitur unca.
Et quamuis multum sit pernecabilis ictus,
Bestia quam fixit, dat tamen ista bona.

Oleum scorpionis ad renes.

Scorpio nam tristis potatus Palladis imbre,
Mirificè linctu sabula dira domat.

Contra ictus.

Et cum uulnus atrox incußit, Scorpius ipse
Tundatur, positus uulnera namq́ leuat.
Nec non fœniculo calidum annectatur acetum,
Aut uiuum sulphur, nam bene mundificant.
Caseus aptus erit simæ, aut de lacte capellæ,
Vel cerebrum galli, galbana uel polium.

DE

DE CROCODILO.

Cap. 29.

AD fluuiū qui septeno modò flumine Nilū
Lābit agros, crescit iam crocodilus itē.
Quadrupedes est animal fugienti maximè dirum,
Estq́; renitenti bestia, crede, fugax.
Hoc timet in terris multum genus omne ferarum,
Hocq́; timet Ponto quicquid ubiq; latet.
Namq; dies terram colit, & pernoctat in undis,
Singula deuastans maxima pernicies.
Oua parit penso uelut anser, Stincus at istud
Ingrediens rictum pernecat indomitum.
Oruo proscribunt crocodilis spicula plures,
Conducit plures herbula Vetonica.

Fugientē fugat.

Stincus crocod. necat.

DE AVIBVS, ET INPRIMIS DE AQVILA. Cap. 30.

INTER aues primas fulgens tenet Aquila, dicunt
Nam Iouis hanc uolucrē, tum Iouis armigerum.
Aquila sola potest radios spectare nitentes
Phœbi, nec frangunt lumina clara oculos.
Solam hanc non tangunt cœlestia fulmina topho
Nec grando excellens damna referre potest.

Aquila auiū prima.

Aquilanō sentit fulmen.

Non

Non ætate perit, nec magna iniuria uictus
Interimit, rostrum sed necat hanc uolucrem.
Hic petit extremis Iouis armiger optimus oris
Gemmam, qua seruat pignora quæq; sua.
Creditur iste lapis prægnantibus auxiliari,
Neu uel abortiuos gignere certè queant.
Ac elargiri credunt hunc sobrietatem,
Et multum acceptos reddere posse uiros.

Aetitis uirtus, ex Marbodeo.

DE PAVONE.
Cap. 31.

A Sciuit pennas ales Iunonia pictas,
Tempore quo custos uictus Aristorides.
Antonius laudat cerebrum, Vitellius item
Aulus, pauonis: sed Cleopatra quoq;.
Ex pennis paui connectas si modò sertum,
Alcuzet tollis sic bene de pedibus.

Argus pennas pictas dedit.

Pennæ alzufet, Krampf.

DE CYGNO.
Cap. 32.

C Andidulã uolucrẽ, Ledæũ certè maritũ,
Vallerius Marcus carmine sic cecinit:
Dulcia defecta modulatur carmina lingua,
Cantator cygnus funeris ipse sui.
Cygnus in auspicijs semper gratißimus ales,
Hinc Veneri & Phœbo dicitur esse sacer.
Cum sæuit penitis hærens iniuria lumbis,
Vesicam expurgat tum bene mansus holor.

Martialis.

Vesicam expurgat cygnus.

DE

DE PHOENICE.

Cap. 33.

PHœnicē scripsit Sophoclæo carmine raram, Naso.
Vt sequitur multum naso poeta bonus:
Vna est quæ reparat, seq; ipsa reseminat ales,
Assyrij Phœnica uocant: nō fruge, nec herbis,
Sed lachrymis thuris & succo uiuit amomi. Thure uiuit phœnix.
Hæc ubi quinq; suæ compleuit secula uitæ,
Ilicis in ramis, tremulæq; cacumine palmæ,
Vnguibus ac puro nidum sibi construit ore.
Quo simulac casias, & nardi leuis aristas,
Quassaq; cum fulua substrauit cinamma myrrha,
Se super imponit, finitq; in odoribus æuum.
Inde ferunt, totidem quæ uiuere debeat annos,
Corpore de primo uolucrem phœnica renasci.

DE PERDICE.

Cap. 34.

HVc etiā numerāda uenit Sodomitica per- (dix, Perdix Sodomitica.
Quæ uolucris fertur luxuriosa nimis.
Et regum lautas quæ exornat maximè cœnas,
Vel mensas molles Sardanapaliticas.
Fœmina si perdix uocem audit certè mariti, Voce mariti audita concipit.
Concipit, & profert luxuriosa feras.
Hæc igitur cunctis bona dat medicamina perdix, Castrati, esu perdicis uires recipiūt.
Testiculos casum quîs uiduasse notas.

DE ANSERE.

Cap. 35.

Anser palmipes.

ROmulidarũ arcis seruator candidus anser,
Inter palmipedes connumeratur aues.
Plumiferos nutrit multos Germania dura,
Inter qui portant signa trophæa bonos.

Pinguedo tumorem curat.

Anseris & pinguem medicans natura tumori
Addit, quem curat dexteritate sua.

Ad aures.

Cumq́; nimis teneras dolor ingens sauciat aures,
Anseris infundes pinguia rectè tuis.

DE CICONIA.

Cap. 36.

GArrula quũ tignis nidũ suspẽdit hirũdo,
Aduentũ ostendens, ecce pelargus adest.

Ciconia pro deo habita.

Aegyptus quondam monuit quem numinis effrõs
Instar tractandum relligione sua:
Saltem quod pascens serpente ciconia pullos,
Mundarit terram quam bene Niloticam.

Ciconia pietatis exemplar.

Est eadem ueræ pietatis maxima cultrix,
Dum sibi maiores rectè educasse studet.

Si ex hac per ignem aqua fiat.

Ex hac si feceris limpham, mediante marito
Cyprigenæ, uisus clarificare potest.

DE VESPERTILIONE.

Cap. 37.

EST uolucris, simulat tremulis quæ pellibus (alas,
Quæ lactat pullos uberibusq́; suos.

Vsillo-

Psillotrum referunt istam dare posse cruore,
Et gratum quemuis reddere principibus.

Cruor uespertilionis psillotrum.

DE PASSERE.

Cap. 38.

P*Asseris immodicus uitam decurtat amatã*
Luxus, quem passer continuare solet.
Namq; suum cursum Titan uix complet in axe.
Deficit en passer, commoriturq; salax.
Passeris & cerebrum, langnentem rectè priapum
Errigit, atq; facit sollicitare femur.

Passer uix annum cõplet.

Cerebrum uenerem excitat.

DE TVRTVRE.

Cap. 39.

R*Aucos ex ulmo gemitus dat turtur, amico*
Cõiuge priuatus, lympida necq; bibit.
Hanc si fortè dolor uolucrem uiolauerit atrox,
Helxine proscribit maxima damna sua.
Si flexus uentrem nimium infestauerit ingens,
Turtur combustus terq; quaterq; iuuat.
Atq; oculos lippos curat cum sanguine Turtur,
Seu quis noctilopam sic releuare potest.

Helxine turtur sibi medetur.

Turtur fluxui subuenit.

Turturis cruor oculis prodest.

DE HIRVNDINE.

Cap. 40.

Q*Vum Zephyri spirant, omnis uestitur et (arbor,*
Garrula tunc Progne nidificare solet.
Et Chelidonium lapidem tunc præbet hirundo,
Herculeum morbum qui medicare potest.

Hyrundo ueris tempore.

Chelidonius lapis ad quæ.

Appensus

Appensus collo febres & pellere fertur:
Qui facit acceptum regibus, ac gerulum.

DE MILVO.

Cap. 41.

Miluius famem prædicit.

Miluus cucullum amat.

(ales,
NVncius est famis, freques quum cernitur
Quæ dicta est prædo Miluius ecce rapax.
Hæc uolucris fertur sibi gratū habere cucullum,
Quem fessum portet scapulis ecce suis.

DE BVBONE.

Cap. 42.

Bubo pestem indicat.

IGnauus bubo, dirum mortalibus omen,
Nam diræ mortis nuncius esse solet.
Fœdaq; sic uolucris uenturi est nuncia luctus,
Stercoribus uiuit, fœtidis atq; cibis.

DE VVLTVRE.

Cap. 43.

VVlturis & miram naturā dicere poßum,
Dū genus hoc marē nō peperisse patet.

Vultur cadauer expectat.

Hanc uolucrem narrant luces tres nosse cadauer
Venturum, olfactu tam uiget hæc uolucris.

Contra morsum serpentis.

Ictus serpentis curat cor uulturis atri,
Acceptum reddit regibus atq; iecur.

Venenis est bezoar.

Et licet usq; adeò uultur sit crede deformis,
Toxicis ast cunctis pharmaciare solet.

DE

DE VPPVPA.

Cap. 44.

Vppupa de merda nidum sibi cōstruit arte,
In spacio fœdum temporis ipsa breui.
Pinnula de uolucri capitis proscribere fertur
Morbum, quem sodam dicere ritè potes.
Hanc deplumatam si cancro adiunxeris, ingens
Auxilium præbes, pellit & ascarides.
Alitis & linguam collo qui gesserit, istum
Commemorem reddit, reddit & ingenium.

Penna de uppupa contra sodam.

Cancro medetur.

Lingua memoriam confert.

DE GALLO GALLINACEO.

Cap. 45.

Vincere si tentas hostiles Marte cruento
Ictus, sit galli calcar in æde tua.
Qui patrios fœdat commingens strennuè lectos,
Alitis hic cristam mandere certè potest.
Sanguinis & uis est siccati sistere fluxum
De naribus, Rhases sed bene laudat atrum.

Galli calcar dat uictoriā.

Crista mictū inhibet.

Sanguis contra fluxum narium.

DE CORVO.

Cap. 46.

Alipedem ceruū ter uincit coruus in annis,
Pes corui dexter fit medicina grauis:
Si collo infantis suspendas, quem modò tussis
Perturbat, talem namq; sedare potest.
Oua quidem corui canos peruertere possunt
In nigros, uenerem fel cohibere putant.

Pes corui tussim sedat.

Oua corui ad quæ.

Cætera, blandiri uidear ne fortè, silebo:
Sit satis ad uolucres hanc numerasse feram.

DE MERGO.
Cap. 47.

Mergus unde dictus.

Mergus anas dictus, quòd se mergẽdo cibũ
Cõsueuit, pisces quũ deuorare solet. (re

Mergus psilotrum & caputpurgium.

Psillotrum est mergi fel: pilos namq; molestos
Tollit, sed fœdum purgat idemq; caput.

DE HOMINE, QVI IN CVNcta animalia imperium habet.
Cap. 48.

Homo pars mundi.

Est homo pars mũdi, rerũ quã conditor ipse
Semine diuino condidit ecce Deus.

Hominis dignitas.

Est animal rarum, cunctis alijs dominatur
Quod bene, quo nullum sanctius esse uolunt.
Quodq; à cœlesti demissum sustulit arce
Sensum, quòd uultus tollit in astra suos.
Quodq; exercendis captandisq; artibus aptum est,
Pectore quòd rectam credit & ore fidem.

Homo in se medica continet.

Hoc etiam medicas in se diuinitus artes
Continet, & præbet pharmaca tuta satis.

Dẽs hominis suspensi.

Dens etenim passi pro furtis dira capistri,
Collo suspensus dentibus antidotum est.

Stercus humanum panaricium curat.

Atq; hominis stercus calida apostemata curat
In digitis, multum putrida mundificat.

Atq;

Atq; canis rabidi furiosos pellere morsus
Dicitur urina hæc, quam modò reddit homo.
Sanguine si modico faciem irroraueris ipsam,
Gratus eris multum regibus ipse tuis.

FINIS.

CONSTANTINI AFFRICANI, VIRI IN MEdicinis & Philosophia peritissimi, de Animalibus, ad Octauianum Liber unus.

DE TAXONE, CAPVT *primum.*

ADIPEM taxonis inunge febrientibus, & sanantur. Cerebrum eius cum oleo bene coctum, omnes dolores sanat inunctum. Testiculi eius cum melle cocti, & cum aqua fontis bibiti, ieiuno, per triduum libidinem indeficientem dant. Sanguis eius cum sale cornibus bouinis instillatum per triduum, apertè liberat à morte. Notum est hoc omnibus.

DE CERVO. *Cap.* 2.

CErui cornu humores exsiccat, & in colyrijs ponitur combustum. Dentes

confirmat ex eo fricatos. Puluerisatum cum uino bibitum, caducos sanat, menstrua & fluxum uentris restringit: lumbricos perimit: & serpentes fugiunt etiam odorẽ eius, si in domo uratur. Quicquid corio eius inuoluitur, serpentes non timet. Testiculorum eius pars bibita, coitum incitat. Lapis qui in uulua, aut in uentriculo eius, aut in corde inuenitur, facit mulieres concipere. Idem os in brachio deportatũ, suspẽsum nõ sinit cõcipere. Medulla cerui remissa in ptisana, & infusa, torminosis succurrit: uncta sola omnes dolores sedat.

DE LEPORE.

Cap. 3.

Leporis pulmo super oculos positus, omnes dolores tollit. Cor eius recens collo suspensum, quartanas curat: siccatum, tritum, & bibitum, muliebres dolores tollit. Caducis conuenit. Fel eius claros facit oculos. Renes eius siccati, & triti, & bibiti, calculos pellunt. Sanguis eius cum aqua calida bibitus, idem facit. uulua eius siccata, & cum uino bibita à uiro & uxore concipiet masculum. Si sola mulier biberit, nec uirilis nec fœmineus erit. Testiculos uerò si biberit mulier post menstruũ, concipiet masculũ. Item sanguinẽ eius cum coagulo eiusdẽ bibat, & concipiet masculũ uel fœminã. itẽ coaguli eius uir bibat obolum unũ uel duos, fœmina quadruplũ,

&

& concipit: ſed coagulum ſit leporis maſculi. Valet etiam auribus, dentibus, morſibus uenenoſis, fluxui infantium, mammarum tumoribus, ſtrumis, & lentigini uultus.

DE VVLPE.
Cap. 4.

Vulpis articuli in oleo ueteri cum bitumine coacti, per peſſarium ſuppoſitum mulieribus, matricem ſuffocatam ſedat. Valet ita & auribus, & ſpleni, & alopeciæ. pulmo eius aſſatus in prunis, & bibitus, ſplenem & ſuſpirioſos ſanat. Teſticulis podagra ſæpe fricata fugatur. Et inguina fricata panniculos diſſoluunt. Renes eius cum melle cocti, & comeſti, faucium dolorem tollũt. Fel eius aures ſanat, & oculos. Adeps auribus & podagræ prodeſt. Pellis eius circumuoluta pedi, podagram ſanat. Cum aqua calida, ſalſa, fumigatura, oculi qui ueſpere obſcurantur, ſanantur. Cor eius ualet fluxui ſanguinis, iecur ſimiliter, & fel eius oculis & ſynanchi, & uicijs faucium cũ melle ualet: & ad maculas faciei, & aurib. ſimul, & infirmis ex putredine, cum lacte mulieris. Cerebro eius ſæpe infanti dato, nũquam caducus erit. Seuum eius omni dolori ualet; & torminoſis. Splen quoq; bibitum, torminoſos curat.

DE CAPRA. Cap. 5.

Capræ pili uſti, omnes fluxus ſedant. Ca-

ſeus eius impoſitus, omnes punctiones & dolores reprimit. Lac eius bibitum, liberat à cantharidibus. Si quis eum bibit, uermes occidit, pruriginem ſanat, & morſus. Ventrem ſoluit: bibitum cum coagulo, hydropicum ſanat. ſangnis eius eadem facit, & uenena bibita extinguit. Seuum omni morſui & læſuræ ſubuenit. Lotium bibitũ hydropicos liberat. Aures purgat à dolore. Stercus eius omni dolori ualet, & cholicis, & parotidi, & morſibus, & tumoribus, & alopeciæ illitum. Vngulæ eius uſtæ, & cum pice liquida tritæ & illitæ, alopeciam ſanant.

DE APRO.

Cap. 6.

Apri ſeu uerris teſticuli cum uino bibiti caducos ſanant, & uenenatos morſus. Cerebrũ cum melle carbunculos inueteratos ſanat. Iecur coctum, & cum uino ſumptum ſtringit, fel eius auribus prodeſt, in cortice mali granati tepefactum. Axungia eius ex roſa remiſſa epunctiadias, id eſt puſtulas quæ in nocte ingrueſcunt, tollit. Lotium apri tepidum auribus inſtillatum, ſurdos ſanat.

DE VRSO.

Cap. 7.

Vrſi adeps curat fluxus capillorum. fel eius caducos liberat, ſi biberint, & ſuſpirioſos cum aqua calida.

DE

DE LVPO.

Cap. 8.

Lupi caro cocta & esa phantasticos curat. adeps & fel eius ualent tantum, quantum & canis.

DE TAVRO.

Cap. 9.

Tauri cornu serpentes fugat. Sanguis eos interficit, & maculas faciei delet. fel eius cum melle & balsamo, oculorum uitia curat. clysterizatum citò soluit. cum lana uel penna aures sanat. Seuum eius cum resina & cera, omnes duricies soluit. Medulla cum uino macerata & imposita, torminosos curat. Fimus eius tumores & durities soluit. Cum aceto sanguinem restringit, & faciem limpidam reddit. Sanguis eius idem facit.

DE ELEPHANTE.

Cap. 10.

Elephantis dentes & ebur, caducum faciunt, maculas faciei tollunt, hæmoptoicis tumoribus & capitis doloribus prosunt.

DE CATVLO CANIS.

Cap. 11.

Catulus canis ante nouem dies occisus, mundificatus, coctus, intestinorũ dolorem

in æternùm curat. Canis ſanguis potatus libe rat. Caput eius uſtum, tritum, pulueriſatum uulnera canceroſa & carcinomata curat, & ficus, & canis morſus, ſi bibatur, & rhagadias. Dentiũ eius puluis dolorem ſanat gingiuarum. Cor eius potatum canes à latratu arcet, uel eius ſub pollice pedis poſitum. Fel eius cum melle oculos curat. Splen eius, ſpleneticos. Lac inunctum, pilos & capillos euulſos non ſinit creſcere. Bibitum eijcit fœtum mortuum, & datur cum melle & uino. Dens eo tactus, citò emittitur. Lotio canis ueteris caput lotum, non fiet canum. Sanguine canis parietes illine, omne maleficium abit. Lac eius cicatrices oculorũ extenuat. Adeps eius podagrã ſanat, & auriũ dolorem.

DE ASINO.

Cap. 12.

Aſinæ ſanguis cum uino febres quottidianas tollit, etiam ſi tres uel quinq; guttæ illius ſanguinis ſint. Lac eius ualet laxis dẽtib. ſuſpirioſis, torminoſis, dyſentericis, oculis tenebroſis, ulceroſis, maculis uultus. caſeus eius cœliacis. adeps eius, & anſeris, ſimul ad anum appoſitus, coitus mouet. Splen tritum in aqua, mammis appoſitum, lac attrahit. Oſſulum quod in uulua eſt aſinæ, ſi mulier tulerit ſuper ſe, non concipiet.

DE

DE MVLA.

Cap. 13.

Mulæ auricula, & Burdonis testiculi, si ferantur à muliere, non concipit: uel si bibantur. Cor etiam facit. Sunt etiam in hoc loco huius actionis multa superstitiosa, quæ non sunt spernenda: scilicet de equi spuma & dentibus, & alijs.

DE EQVO.

Cap. 14.

Equi lac bibitum matricis dolorem sedat, & caducos. Fel eius potatum, uomitum facit, stranguriam sanat. Axungia eius suffumigata, partum mortuum eijcit. Stercus equi siccum, & asperũ, sanguinem sistit ubiq;. Cum aqua colatum & bibitum, uentrem soluit, & educit. auribus instillatum, dolorem tollit. Caseus eius uentrem reprimit, torsiones arcet. Coagulum eius cum uino, omnes dolores sanat.

DE ARIETE.

Cap. 15.

Arietis liquor, qui à pulmone cocto distillat, tertianas & regium morbum illitus sanat, & caducos: & pulmo, & testiculi.

DE OVE.

Cap. 16.

Ouinum lac datur infirmis & sanis: antè

& pòst à uino cessent. pueri & puellæ uirginis lotium curat: albugines oculorum & leucomata & lachrymas, & cætera uicia, & elephantiacos sanat bibitum.

DE HOMINE.

Cap. 17.

De humana persona multa hic superstitiosa prætereo, & horrenda. Lotium hominis cum nitro, ulcera & furfures & maculas tollit, & canis morsum curat. Stercus hominis combustum sanat: carcinomata, & cācrosa ulcera, uulnera, & omnes putredines.

DE CATTIS.

Cap. 18.

Catti & cattæ stercus cum sinapi & aceto alopeciam sanat. Cum resina & rosa suppositum, profluuium mulierum reprimit.

DE MVSTELIS, *& paruis muribus,*

Cap. 19.

Mustelæ cinis, & sanguis eius, elephanticos sanat. Mures paruuli cum uino, pilos euulsos non sinunt crescere.

DE AVIBVS NONNVL-*lis.* Cap. 20.

Aquilæ fel cum melle, oculos suffusos sanat. Lapis uentris eius, uel nidi, collo suspensus mulieris, non concipit. Nomen eius est hæmatites, sed quidam dicunt

Ethiten

Ethiten esse, de flumine Indiæ quod dicitur Ethos.

Vulturis pennis ustis, fugiunt à domo ser pentes. iecur eius cũ sanguine tritum, & per dies nouem bibitũ, caducos liberat. Fel eius cum succo marrubij caliginẽ oculorũ sanat. Adeps eius, neruorũ & omnes dolores sanat.

Accipitre in oleo succino cocto, unctione eius caligo oculorum discutitur.

Perdicis cerebrum cum uino bibitũ, morbum regium curat. Audi quod in uere probauimus sæpe: Fel totum cum cratho, id est opobalis, & citro sydoniæ cyatho dimidio tritum bene, & mixtum bene, reponatur in pyxide stannea uel argentea: inde unge oculos, miraberis. Nam etsi quis non uideat, pupillam tamen integram habeat, curabitur & caligo, & suffusio, & leucomata.

Corui ouo sic capillos nigrabis. defunditur in uasculum cuprinum, & tam diu mouetur donec mutet colorem. Inde ungatur caput rasum prius, donec omne consumatur. & oleum tam diu in ore teneat, donec siccescat, ne dentes nigrescant, caput mox ligetur, & post dies quatuor soluatur. & hoc efficit, ut cani nunquam fiant. Cerebrum corui cum pane da strophæ, sequitur te ubique. & cauo denti infusum, rumpit eum, & tollit dolorem.

Galli cerebrũ bibitũ cũ uino, omnes mor

sus

ſus deſtruit. Miraberis etiam multa alia. Sanguis eius leucomata oculorum, & cicatrices, cum aqua inunctus pellit. Teſticuli eius bibiti cum aqua, caducos liberant. A uino abſtineant decem diebus. Siccentur bene, & ſeruetur ad opus. Cum adipe anſeris in pelle arietis brachijs ſuſpenſi, coitum mouent. Item cum ſanguine lecto ſuppoſiti, coitum uetāt. Pellis interior uentriculi eius trita cum uino, auribus prodeſt. Bibita uentrem ſtringit, ſputum mouet, calculos frangit, & per urinam eijcit. Stercus eius tuſum cum aceto, furunculos & canis morſus curat.

Gallinæ ouum notiſsimum eſt omnibus, ad omnium oculorum dolorem. Cuius albū infuſum oculis, ſedat punctiones, & alibi omnes feruores & prurigines. Et albumen, & totum combuſtū ouum cum uino bibitum, uel impoſitū, omnes fluxus ſtringit; uel cum aceto. Vitella ouorum nuda quinq;, cum uini cyathis tribus, hæmoptoicis cum uino uel oleo cocta, adiecta polenta manè ſumpta, ualet ijs qui cibos continere non poſſunt. Cum balſamitis rebus mixta oua uel cōfecta, multis ſubueniūt ęgritudinib. quas nos tedet ſcribere. Adeps gallinæ puſtulas oculorū curat. Tibiæ cum pedibus coctæ, & cū ſale & oleo comeſtæ, & aceto, coli ſedāt dolorem. Stercus gallinæ perniones, quæ naſcūtur in manibus, impoſitum ſanat, & omnes morſus.

Colum-

Columba occiſa, calida ſuperpoſita, morſui & ueneno ſubuenit. Sanguis eius infuſus oculos ſanat, præcipuè tractus de ſubaſcellis. Stercus eius omnes duricies mollit, & humores exiccat: & ideo etiam oleum adhibetur, ad fomenta item facienda.

Anſeris adeps cum cepæ ſucco, auri infuſus, aquam illapſam eijcit, & purgat. fel eius cum melle penna illitũ, agene ſuccurrit citò.

Hirundinum pullorum combuſtorũ puluis faucium curat morbos, & linguę, & labiorum uulnera. Hirundo in mulſa cocta, optimè ſanat.

CLARISSIMO SACRAE *Theologiæ lectori,* D. BALTHASSARI VVERLINO, *ordinis ſancti Dominici fratri, ac totius prouinciæ ſuperioris Germaniæ uicario, Domino & patrono multis modis obſeruando, Georgius Pictorius Villinganus, doctor medicus S. D.*

TE PISCES in delicijs habere, fama eſt (perdocte domine Vicarie) Sed quia ueſtrum ichthyopolium à piſcibus delicatioribus perſæpe eſt mundum, propter hamiotarum qui piſcibus imponunt defectum, te ſubinde nolentem defraudari in menſa ſuſpicor. Vnde rem tibi me

gratam

gratam facturũ ſum arbitratus, ſi ad manus tuas hanc Lippij tibi propriã fecero ichthyo trophiam: ex qua pro uoto quoquo tempore libeat, quoſuis piſces ad foculum tuum eruas. Hanc igitur tibi do, dedico: & libens, ut piſces habeas, offero: hac fruere. & ſi Reuerendus dominus VVILHELMVS BRAND, ſuperioris Prouinciæ magiſter, aliquando tecum fuerit, hunc lautius excipe. Nam boni ſunt Lippiani piſces, ſi tantum ars culinaria non fallat. Vale doctiſs. uir, & patrone ſingularis. Datũ Enſishemij, à Chriſti incarnatione anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo.

LAV-

LAVRENTII LIPPII COLLENSIS, OPPIANI poetæ Halieuticon, siue de Piscibus, ad Laurentium Medicem liber, Scholijs D. Georgij Pictorij Villingani doctoris medici breuiter explanatus.

ECHINEIS, QVAE REmora latinè dicitur, loquitur.

PELLEBANT *uelis, pelebant remige nauem,*
Ventus erat, cœptum sum remoratus iter.
Solus ego Actiacam potui retinere carinam,
Et potui Caij rostra tenere ducis.
Semipedalis ego, quis hæc corpuscula credat
In cursu tantas detinuisse rates?

SCHOLIA.

Pellebant uelis.) Antonij milites intelligit, qui Actiaco Marte, contra Cæsarem Augustum fortiter nauigabant.

Sum remoratus iter.) iter Antonij, fugientis Augusti classes.

Solus ego Actiacam.) quando in Epiro Cæsar nauali prælio uicit,

Et potui Caij.) Tenuit & Caij principis, ab Astura Antium remigantis nauim.

Quis hæc corpuscula.) Effert illa Plinius exclamando, deridens fermè hominum robora seu armata, quæ semipedalis piscis tenere ligata posit: lib. 32 cap. 1.

NAVTILVS LOQVITVR.

Per freta dum cautus deducor imagine nauis,
Aesonides didicit ducere uela ratis.

SCHOLIA.

Imagine nauis.) Nautilus piscis nauigantis instar comparet natando: unde & nomen tenet. Græcis enim ναυτίλλομαι idem est quod nauigo. Hic alijs pompilus uocatur. Plin. lib. 9 cap. 29.

Æsonides didicit.) Iasonem Aesonis filium, huius piscis natationem obseruasse, & nauigandi artem sic excogitasse dicunt, id quod Antonius Sabellicus de rebus inuentis etiam ostendit.

DE DELPHINO.

Mulcetur cithara Delphin, mulcetur amore:
Testes stelligeri sidera clara poli.

SCHOLIA.

Mulcetur cithara.) Cithara, uel symphoniæ cantu, & amore, potissimum puerorum, Delphinos mulceri, Plinius nono libro scribit, octauo capite: & 32 libro, cap. 37.

Sed

Sed clara ſidera teſtes eſſe, uel id argumento eſt, quod tricenis diebus cauſa non comparente, circa caniculæ ſideris ortum ſic occultantur, ut niſi fidibus excitati, Delphini non prodeant, aut rariſsimè.

DE TORPEDINE, AD Angelum.

Angele quis credat? fœda torpedine tacta,
Contractas perhibent obriguiſſe manus.

SCHOLIA.

Obriguiſſe manus.) Ab hoc piſce exemplum Plinius colligit, uim aliquam in rerum haberi natura, quæ uel odore, uel aura ſui corporis, poſsit afficere alterius membra. Eo nãq; piſce uel per uirgam uel per haſtam tacto, ſtatim membra torpent: atq; pedes, licet ad curſum ſint uelociſsimi, alligantur: Plin lib. 32. cap. 1.

DE PHOCA PISCE.

Carpe ſoporiferam pennam, pellemq́ rigentem:
Iam dormi, & nunquam fulmina torta time.

SCHOLIA.

Pennam ſoporif.) Dextræ huius piſcis ineſt pennæ ſoporifera uis, ut ſomnum alliciat capiti ſubdita. Pedi item, quæ etiam corpori detracta, æquoris ſenſum retinet.

Fulmina time.) Aduerſus fulmina remedio eſſe hanc pellem, uel inde cõſtat, quòd diuus

Augustus semper & ubiq; hanc secum ferre consueuit, qui tonitrua & fulgura pertimuit uehementer: Plin.lib.9 cap.13.

SEPIA LOQVITVR.

Atrum purpureo pro sanguine fundo liquorem:
Deuoror, & nostro sanguine charta madet.

SCHOLIA.

Charta madet.) pro sanguine atramentum habet sepia: Plin.lib.9 cap.29. cui tanta uis est, ut lucernæ additum, Aethiopas uideri faciat, ablato priore lumine. Idem 32 lib. cap.10.

DE POLYPO.

Paciferam polypus cupide corrodit oliuam,
Atq; pedes brumæ tempore segnis edit.

SCHOLIA.

Paciferam oliuam.) Caduceatoribus pacis symbolum oliua fuit.

Atq; pedes brumæ.) Crinibus pedum loco utitur, quibus etiam coit, fœminæ naribus inditis: sed brumæ, hoc est hiemis tempore. Plin. 9, cap.51.

LVCERNA LOQVITVR.

Est Lucerna mihi nomen, quod lingua refulget:
Si noctu aspicias, lumina uera putes.

SCHOLIA.

Est lucerna.) Lucerna notum instrumentum est, à luce: Græci lychnum uocant.

DE

DE TRIGONE, SEV pastinaca.

Pestifer à cauda mucro se tendit acuta,
Hoc Ithacum narrant occubuisse malo.

SCHOLIA.

Hoc Ithacum narrant.) Nam Telegonus Ithacum, hoc est Vlyssem, patrem suum, uenenosa huius piscis ignarus interemit spina.

DE DACTYLO.

Dactylus illustrat radianti lumine pontum:
Adpositus mensæ, lumine mensa nitet.

SCHOLIA.

Lumine mensa nitet.) E genere concharum dactyli sunt, ab humanorum unguium similitudine appellati. Hi etiã in ore lucent mandentium, in manibus, in solo, & ueste, decidentibus guttis, libro 9 Plinius, cap. 61.

DE ECHINO.

Imbres & uentos cautus præsagit echinus,
Et nutans paruo pondere sistit onus.

SCHOLIA.

Imbres & uentos.) Sæuitiam maris præsagiens echinus, operit sese, ut mobilitatẽ paruo stabiliat pondere.

ECHINVS LOQVITVR.

Spicula me uoluunt, totum defixa per orbem:
Sed liquor in fracto cortice gratus erit.

SCHOLIA.

Spicula me uoluunt.) A' calice hirſuto, quem inſtar caſtaneæ hic piſcis habet, echinũ græci nominant. ἐχῖνον enim hirtum uocant.

Sed liquor infracto.) Martialis: Cortice depoſito mollis echinus erit.

THYNNVS LOquitur.

Quum fueram fœtus, primò Cordyla uocabar,
Pòſt ego Pelamis, pòſt ego thynnus eram.

SCHOLIA.

Quum fueram fœtus.) Cordyla partus appellatur: limoſa effecta, pelamis: & annuo tempore elapſo, thynnus.

SQVATINA LOquitur.

Non ſatis eſt noſtri quod mandunt membra guloſi,
Et niueum tergit aſpera pellis ebur.

SCHOLIA.

Aſpera pellis.) Squatina tam aſperam cutem habet, ut cum ea ligna & ebur poliantur.

SCORPIVS LOquitur.

Exagito ſtimulis magnum Delphina recuruis,
Quem cogo magnas deſiluiſſe rates.

SCHOLIA.

Scorpius loquitur.) Scorpius piſcis marinus, à ſimilitudine uermis aculeati dictus eſt.

AC-

ACCIPENSER.

Infœlix, quòd me mensæ coluere priores:
Nunc fœlix, quòd sum gratia nulla gulæ.

SCHOLIA.

Gratia nulla gulæ.) Admiratur Plinius, huic pisci iam nullam haberi gratiam, quũ adeò sit rarus inuentu: Plin. lib. 9. cap. 17.

DE SCAVRO.

Laudabũt mensæ scaurũ, quòd ruminat herbas,
Nec proprium gaudet dilaniare genus.

SCHOLIA.

Laudabunt scaurum.) Hic solus piscium ruminat, Oppiano teste, cuius hæc est carminis cauda: Et solus pallentes ruminat herbas.

SCAVRVS LOquitur.

Quondam Carpathij fueram pius incola ponti,
Nunc sum Campanis incola littoribus.

SCHOLIA.

Nunc sum Cãpanis.) A' Claudio principe scaurus in Campaniã primò est deportatus, Macrobio asserente.

DE SYLVRO.

Appetit omne animal graßator dente sylurus,
Et summa nantes per freta mergit equos.

SCHOLIA.

Appetit omne.) Totum carmen Plinianum est, ex nono libro, cap 15.

DE SCOMBRO.

Sulphureus uideor, liquidis cum cernor in undis:
Extra undam apparent squamea terga mihi.

SCHOLIA.

Plinius, præallegato loco.

DE MVGILE.

Quum caput est tectũ, credo mea membra latêre:
Per uenerem prædæ fœmina uirq; sumus.

SCHOLIA.

Fœmina uirq;.) Iisdem tantam esse salacitatẽ, Plinius scribit in x, ut in Phœnice & Narbonensi prouincia coitus tempore, è uiuarijs marem linea longinqua per os ad branchias religata, emissum in mare, eademq; linea retractum, fœminæ sequãtur ad littus; rursusq; fœminã mares partus tempore. lib. 9 cap. 17.

MVLLVS LOQVITVR.

Vix duo sum pondo, lautæ sed gloria mensæ:
Crispinus pro me milia multa dedit.

SCHOLIA.

Vix duo sum pondo.) Rarò admodum duas libras exsuperat mullus. Vnde Martialis:
Nolo mihi ponas rhombum, mullumq; bilibrem.
Sed Mutianus octuaginta librarum in mari Indico captum scribit.
Crispinus pro me.) Iuuenal. satyra quarta:
——*Mullum sex milibus emit.*
Aequantem sanè paribus sestertia libris.

SAL-

SALPA LOQVITVR.

Salpa obſcœnus ego dicor, nec decoquor unquam,
Ni ferula cædens uerbera multa dabis.

SCHOLIA.

Ni uerbera dabis.) nuſquã percoqui poteſt, niſi ferula uerberatus. Verba ſunt Plinij, ex lib. 9 cap. 18.

MENA LOQVITVR.

Candidulus brumæ ſum tempore, ſole calente
Oſtendam uobis ſquamea terga niger.

SCHOLIA.

Sole calente.) Hyeme candidas eſſe, ac æſtate nigras, Ariſtoteles octauo animaliũ docet.

DRACO PISCIS loquitur.

Sum draco, de media ſurgunt mihi cornua fronte,
Sæpe uides roſtris antra cauata meis.

SCHOLIA.

Antra cauata.) Captũ atq; immiſſum in harenas, cauernam ſibi roſtro mira celeritate efficere, autores ſcribunt.

DE ARIETE.

Cornu aries pugnax piſces ſpeculatur euntes,
Squamigerũ perdunt cornua ſæua genus.

SCHOLIA.

Cornu aries.) Breuibus meminit arietis Plinius libro 32, cap. 11.

DE VRTICA.

Postquam pisciculos Pansa sub fronde recepit,
Corrugat frondes, pisciculosq́; uorat.

SCHOLIA.

Postquam pisciculos.) Hæc Plinij sunt, ex nono libro, cap. 45.

SPONGIA LOquitur.

Incrementa mihi, & sensum natura parauit,
Nam paruas conchas, pisciculosq́; uoro.

SCHOLIA.

Sensum parauit.) maximè auditus, quo regitur: Plinio teste lib. 31. cap. 11.

DE LOLIGINE, MILVO & Hirundine.

Lolligo, Miluusq́; rapax, & mitis Hirundo,
Vt celeres uolucres per freta summa uolant.

SCHOLIA.

Lolligo.) Voliginem, à uolando, M. Varro nominat. Huius Plin. meminit lib. 32 cap. 11.

Miluus rapax.) De istis idē lib. 9 cap. 27. &c.

DE CANCRIS.

Vere nouis renouant cancri sua tergora crustis,
Exuuijs positis læta iuuenta redit.

SCHOLIA.

Vere nouis.) In ueris principio renouatione tergorum senectutem exuunt. Plin. 9 cap. 30.

DE

DE LEPORE.

Adducit uomitum tactu lepus: hanc fuge pestem
Laurenti, secum dira uenena gerit.

SCHOLIA.

Adducit uomitũ.) Vomitũ & dissolutionem stomachi, Plin. inquit 9, cap. 48.

STELLA LOquitur.

Sum similis stellæ, candenti feruidus igne:
Vruntur callis omnia tacta meis.

SCHOLIA.

Vruntur callis.) Huic tam igneum feruorem inesse Plinius scribit, ut omnia in mari contacta adurat: libro 9, cap. 60.

DE LOCVSTA.

Formidat tantum polypum miseranda locusta,
Aspectu ut polypi læsa repente cadat.

SCHOLIA.

Aspectu ut polypi.) Polypum in tantum locusta pauet, ut si iuxtà uiderit, omnino moriatur. Plin. lib. 9. cap. 62.

DE COCHLEA.

Contrahit, exerit parua cornicula fronte:
Et nuda ingreditur, contegiturq́ domo.

SCHOLIA.

Parua cornicula.) Cornua sunt cochleis ad prætentandum iter. Plin. lib. 11. cap. 37.

FINIS.

INDEX.

FINIS.

AMPLISSIMO VIRO DOMINO IOANNI HULDENRICHO ZASIO, OPTIMO IURIUM ATHLETÆ, & diui FERDINANDI Cæsaris semper Augusti consiliario, ac per superiorem Alsatiam cancellario dignißimo, Georgius Pictorius Villinganus doctor medicus S. D.

HUNC ritũ per multos iam annos ubiq; terrarum diligentissime obseruatũ inter omnes cõuenit (heros amplissime & Mecœnas ter maxime) ut regulos suos uel heroẽs, quæuis regio, si nouam dignitatem forent adepti, pro rerum suarũ facultate munere aliquo gentilitia, uelut boni ominis symbolo, cùm reuerẽter exciperent, tum etiam obsequiosè

salutarent. Cuius rei testes sunt oẽ
mni exceptione maiores, qui Ty=
riam inhabitant, dum pannos mu=
rice tinctos offerunt. Et Seres, qui
uellera niue candidiora exhibent.
Atq; Indi, quando gemmas & au=
rum donãt: Arabes item. Et Angli,
quorum primi thus & myrrham: a=
lij uenabula elargiuntur. Cretẽses,
missile telum. Sauromatæ, pictas
pharetras. Et Assyrij odoriferos li=
quores. Dum ergo percepissẽ (Me
cœnas amplissime) te candido diui
FERDINANDI Cæsaris semper
Augusti, & orthodoxæ fidei defen
soris strenuissimi calculo, in Can=
cellarium per superiorem Alsatiã,
ex multis optimis & doctissimis e=
lectum: impendiò magis hæsitans
deliberaui, quid nam in numerato
habere possem, quo præceptor (ab=
sit inuidia dicto) discipulum tam
heroicum, uel regium potius, exci=
pere, & nũc promptissimus cliens,
imò

imò seruulus, dominum suum salutare maximè deberem: utpote qui rerum præfatarum, & aliarũ quoquè magni sumptus, inops ac fermè expeculiatus, magna donare nequeam. Vbi fortè fortuna incidit, te cum Theodorici Vlsenij, per me nuper ex blattarum conflictu redempti, theorices in medicinam introductorio: & Q. Sereni Samonici practico libello: ac meis Annotationibus in utrunq; autorem, cùm excipere, tum etiam peramanter salutare. Offero igitur (uir amplissimè) ea qualia qualia sunt) sunt autem nihil, nisi synceræ & beneuolentis animi symbolum) spe fretus pluris te facturum eiusmodi bonorum authorum carthaceum munus, quàm si uel Pactoli Asiatici dona, uel Indici Gangis obtulissem apophoreta.

Mecœnas igitur, munus non respice, corda
Mittimus, et nostro pectore quicquid inest.

Valeat Dominatio tua, & Pi-
ctorium olim præceptorem tuum,
nunc clientem, præsidio foue.
Datum Ensishemij, à CHRI-
STO nato, sesquimillesimo quin-
quagesimonono, die uigesi-
maquinta mensis
Augusti.

THEODORICI VLSENII VI- ta ex Tritemio abbate, & alijs fide di- gnis, in unum conscripta.

CLaruit Theodoricus Vlseni- us, homo Phrysius, carmine & soluta oratione multum celebris, anno uirginei partus quadringen- tesimo nonagesimosexto: Cuspi- niano, Philomuso poëtis, & Sta- bio mathematico, necnon Vincen tio Longino theologo, coætaneis, Qui Norinbergæ, pro reipub. cō- modo in tempus aliquod archiater Elegias scripsit elegantissimas, & ad Conradum Celtem Protucium poëtam Germanum laureatum, e- pigrammata quædam, & ad domi- num Martinum Mellerstat, duca- lem archiatrum hanc clinicen phar macandi methodum: & alia fortas sis, quæ ad manus nostras non uenerunt.

AVTHORES QVORVM ope explanationes in utrosq; authores dedimus.

Ægineta
Anglicus
Apuleius
Alexander Benedictus
Aristoteles
Arculanus
Arnoldus
Auerrois
Bartholomeus de Montegnano
Columella
Cornarius
Cornelius Celsus
Cardanus
Cicero
Conradus Gesnerus
Constantinus
Claudianus
Crinitus
Diogenes Laërtius
Damascenus
Dioscorides
Diurius
Ennius
Erasistratus
Erasmus Roterodamus
Franciscus Philhelphus
Franciscus Floridus
Galenus
Homerus
Hali
Hippocrates
Ioannes de sancto Amando
Ioannes Manardus
Isac
Iacobus de Partibus
Lucretius
Ludouicus Cœlius
Leonhardus Fuchsius
Macer

Magnus

Magnus Mediolanensis
Matthæus de Gradib.
Marsilius Ficinus
Marcellus Vergilius
Marbodeus
Mesue
Naso
Plato
Plinius
Ptolemæus
Rases
Rabi Moses
Syluaticus
Sauonerola
Serapio
Seruius
Teophrastes
Tritemius
Valerius Maximus
Vergilius
Vincentius.

DE PHARMACANDI COMPROBATA RATIONE, THEODORICI VLSENIJ liber primus, cũ Scholijs D. Georgij Pictorij Villingani doctoris medici, multùm eruditis, illustratus.

MOS erat antiquis medicinas nocte sub una,
Tres dare, si morbi causa remota foret:
Dissoluens prima fuerat, tractiua secunda,
Tertia pellebat, quod tetigêre duæ.
Principio noctis primam, medioq; secundam,
Pellentem summo deniq; mane dabant.
Temporis illius robusta fuêre uirorum
Corpora, pharmaticos dura subire modos.

SCHOLIA,

Temporis illius] Olim corpora hominũ sic robusta, ob uehementes multumque assuetos extitêre labores, ut nõ solùm pharmaca huius seculi corporibus sustinue-

ſuſtinuerint grauiora, ſed etiam quæuis alia multum dura ferre potuerint. Proſcripto tamen labore, hominum ſic defecerũt uires, intromiſſa uoluptate, ut nunc, uel tantillum quod delicias non ſapiat, pro hoc Plinij dicto, uix ſuſtineãt: Quando, inquit, uoluptate emerſa, uita eſſe deſijt.

Plin. in prologo. 14. lib.

THEODORICVS,

Nunc molles Lucina uiros effundit ad artes
Fœminas, poſito quippe labore bono.
His igitur uix una dari medicina periclo
Sepoſito poterit, ſi ſit acuta parum.
Vnde fit ut præceps audacia, ſiue ſupina
Simplicitas, pariat probra pudenda bonis.
Ah quoties pietas opus inchoat impietatis,
Et pia tam ſubitò fit ſcelerata manus?
Hei mihi quid peccat, qui ſe miſcere ſalutis
Pocula confidit, ſi malè cedit ei?
Crimine reſpergi miſcens aconita meretur,
Sed ſpe fruſtrata tunc ſua fama cadit.
Funeſtos igitur caſus quicunq; cauere
Vel uitare uolet, ſedulus iſta legat.

SCHOLIA,

¶ *Sedulus iſta legat.*]Hortatur author, quòd pharmaca porrigens, ſua ſcripta legat, ut porrigendi methodum addiſcat: & non uelut agyrtæ, ambubaiæ, herbularij, & circumforanei ſolẽt nebulones, temerè phar

maca

maca decumbentibus administret, qui sequestrata temporis ratione, ætatis, regionis, sexus, artificij, uirtutis, consuetudinis, & habitudinis, plerunque pro medicinis benedictis aut salubribus, ezulã porrigũt, mezereon, ueratrũ aut nucem methel: saltem considerantes, ut sedium numerent myriades. Nescij Coum senẽ laudasse qualitatem, & deiectiones non pro quantitate commendandas dixerit. Maximè quum Galenus hominem, non corium, non lignum, neq; lapidem esse uelit: sed Platone subscribente, miraculum diuinum, & propè adorandum.

2. Aphor. 25.

Plato de Legibus.

THEODORICVS,

Ad mea tyrones properate fluenta, senectus
Inuida de ueteri fonte, uetusta bibat:
Emeritis tamen irrepunt obliuia, curis
Scita retunduntur, sed metra mente manẽt,
Admißi ueteres rhinos obducite, ringi
Sustineo, rodi nolo, fugabo canes.
Primitùs expediam quis sit purgandus, et utrũ
Æger an incolumis, plenus, an inde procul,
Sanos Hippocrates uetuit purgare, repletos
Soluere præcepit, nec moueatur inops.

Docere incipit.

SCHOLIA,

¶ *Sanos Hippocrates.*] Sana habentibus corpora, damno esse pharmaca exsoluentia docet

docet Hippocrates. Sed isthæc sana intelligit, quæ recto sex rerum non naturaliũ utuntur ordine: nec ullam, nisi necessariam habent in corpore materiam, aut inculpata fruuntur sanitate. Ea etenim pharmacis tentata, magis cõsumuntur quàm purgantur. Dum medicina per simile similem materiam attrahat, & ea non reperta, ad sanguinem se conuertat, & carnem, hoc est ad materiam ex qua sanguis & caro generari debet, quam cum magna angustia proscribat.

2. Aphor. 36. & 37.

¶ *Soluere repletos.*] Non solùm hoc præcepisse Hippocratem constat, sed Auicennã quoque, dum repletionem humorum, quali & quanto per naturam ad benignũ non reducibilium, aut euacuari seu resolui possibilium, per artem euacuandam docet.

Auic. quart. 1. cap. 3.

¶ *Nec moueatur inops.*] Id est, uacuus. Cui senex ait, Vbi indigentia est, non oportet laborare. Nam facilè hinc spirituum sciuit oboriri diaphoresim. Consimilem habet sententiam Auicenna tertia primi.

2. Aphor. 16.

Auicen. doct. 2. cap. de hora exercitij.

THEODORICVS.

Morbosos etiam debes distinguere, siccus
Ne subsit morbus, uel peracuta febris:
Humidus expelli morbus cupit, ethica fluxum,
Phthisis & ephimeræ non didicêre pati.

Continuas

Continuas etiam febres purgare pigebit,
Vix natura pati bella gerenda potest.

SCHOLIA,

¶ *Humidus expelli.*] Materialis. Et id Galenus quoque docet tertio Microtechn. Item Hippocrat. secundo Aphorismorum.

Gale. 3. micr. coment. 138. 2. Aphor. 22.

¶ *Ethica fluxum.*] Galenus ethicis nihil aliud quàm refrigerationem & humectationem necessarium scribit, purgatione pòst habita.

lib. 10. megatech.

¶ *Phthisis.*] Hippocrates sic habet: Quibuscunque phthisicis diaria superuenerit, moriuntur. Huic Auic. subscribit decima tertij cap. de phthisi. Et Serapio 2. breuiarij, cap. 22. ac Mesue in suo de approp. cap. de phthisi.

5. Aphor. 13.

Auic. tract. 4. cap. de phthisi.

¶ *Et ephimeræ.*] Quæ alteratione opus habent.

¶ *Continuas etiam.*] Propterea Galenus sic ait: Quicunque curare uoluerit continuam, ex multitudine sanguinis nõ putrefacti, phlebothomari infirmum iubeat, in magna copia.

Lib. 9. de inge. sanit. capite 9.

THEODORICVS,

Tempora præterea morbi seruabis, & ipsum
Tum cùm declinat, pellere ritè studet.

SCHOLIA,

¶ *Tempora præterea.*] Euacuando temporis consideranda est oportunitas, quam Vlsenius declinationem innuit, Galeni authoritate,

ritate, si materia quieta sit, pauca, & non furiosa, nec in membro nobili, uel nobili uicino. Temporum morbi quatuor esse docet Princeps prima quarti: & primo Crisium Galenus, ac Constantinus de communibus medicorum locis. Principium, augmentum, statum & declinationem.

Prima quart. tract. 1. cap. 3. Crisi. 1. cap. 2.

THEODORICVS,

Principiò nunquam purgabimus in furiosa,
Aut quia materie membra priora grauant,
Aut uirtutis opus præcludunt nobile, uel si
Præsagit summis uiscera læsa dolor,
Vel si mortifero purgantur membra ueneno,
Vel si spirituum pectora claudat iter.

SCHOLIA,

¶ *Principiò nunquam.*] Materia quieta existente ad morbi principium, non euacuandum docet, Hippocrati subscribens: nisi concoctio seu maturatio humorum præcesserit: furiosa autem & mobili existente, propter quinque euacuationem admittit: ut si materia nobilia grauet membra, seu uirtus quæ est dextro contemplanda oculo, digestionem expectare nequeat, aut si magna doloris incubat tyrannis, uel si materia euacuanda sit uenenosa, aut si propter repletionem spiritibus intercludantur meatus, atque de eorum suffocatione emergat suspicio.

1. aphor. 22. & 24.

Obseruare

THEODORICVS,

Anni tempus obſeruandū.

Obſeruare quidem tempus nihilominus anni,
Obſecro, ſudantem ſole caueto canem.
Nec magis anticanis uult pharmaca, congelat algor,
Humores brumis hiſpida membra rigent.

SCHOLIA,

4. aph. 5. 4. primi, cap. 3.

¶ *Obſeruari quidem.*] Hippocrates ſic habet, Sub cane & ante canem moleſtæ ſunt purgationes. Et Auicēna, Scito quòd tempus quo ſumenda eſt medicina, nō eſt tempus uehementer calidum neq; frigidum. Cauſas Galenus oſtendit commento prædallegati aphoriſmi.

THEODORICVS,

Sufficit æſtati ſudor, tenuisq; dieta,
Segnis hyems epulas uentris amica uorat.

Qualiter aer alterandus.

Quòd ſi tēporibus dare pharmaca cogeris iſtis
Sentiat ingenium tempus & aura tuum.
Frigidus eſt aër, tepeat prunis, ſine furno,
Temperet & calidū tunc roſa, myrtha, ſalix.
Prodigus autumnus, uer florigerum tibi fructus
Et flores pariant, ſint ea laus & opes.

SCHOLIA,

1. aphor. 18.

¶ *Sufficit æſtati.*] Docet hîc regere corpora per dietam abſq; medicamine, ſumpta indicatione à temporibus anni: quod idem facit Cous medicus aphoriſ. primo libro ſic: Æſta-

ſic: Æſtate & autumno cibos grauiſsimè ferunt, hyeme uerò facile, uere autem ſecundo Qui ſe ipſum interpretatur, dicens Et uere calidiſsimi ſunt natura, & ſomni longiſsimi. In his ergo temporibus oblationes plures dandæ ſunt. Etenim innatus calor eſt multus, nutrimento igitur ampliori indigent. Conformes ſententias habet Auic. prima quarti cap. de cibatiõe febricitan. & ſecunda primi.

1. aphor. 15.

Auicen. 2. primi. doct. 2. cap. 6.

THEODORICVS,

Quin etiam uolo te tempus ſeruare diei,
Non quæuis quouis tempore ſumpta iuuat.

Horas diei obſeruandas.

Hic amanuenſis aliquot uerſus omiſit.

SCHOLIA,

¶ *Pillula principio.*] Hiſce enim deglutitis dormiendum eſt, ut in ſtomacho naturalis calor fortificetur, & medicina melius de potentia ducatur in actum.

¶ *Apozima mane.*] Quia timendum foret ſi in nocte daretur, ne ſomno ſuperueniente & calore fortificato, uirtus medicinę reſolueretur.

¶ *Antidotum gallus.*] Electuaria dantur ad mediæ noctis inſtantiam, quia non ſunt ita poſsibilia, ſicut medicina data in ſubſtantia liquida, necꝫ ſic dura ut pillulæ quę longa attractione opus habent.

¶ *Nectar ſi laxet.*] Mane tamen ſuper hauſtũ non eſt dormiendũ, inquit Auicenna: quia

tempore somni fortificata natura, medicinam digeret, unde uirtus attrahendi tolleretur. De his abundè Mundinus super cano. uniuersales Mesue.

THEODORICVS,

Ætatum habendum examen.

Mittor ad ætates, puerũ quater & tribus annis,
Nolo, nec occiduum pharmaciare senem.

SCHOLIA,

Quarta primi cap. 3.

¶ *Mittor ad ætates.*] Sic Auicenna, ab euacuatione prohibet ætas, quæ nondum ad augmenti complementum peruenit, aut ad consumptionis terminum est transiens. Vbi pueritiæ ætatem infra duodecimum aut decimumquartũ annum existentem, & depontani lineam sexagesimum excedentem intelligimus. Prioris rationem ostendit Arnoldus: Quicunq; , inquiens, in iuuentute sæpius pharmacantur, citò deflent incõmoda senectutis. Cur senes non euacuandi, omnibus est notum.

Doctr. de reg. uni. curat. morborum.

THEODORICVS,

Regionis habenda ratio.

Climata distinguo, gelidum fortem medicinam
Sustinet, in calido sæpe pusilla nocet.

SCHOLIA,

¶ *Gelidum fortem.*] Ostendit regionem septentrionalem frigidam, aliam ferre medicinam euacuatiuam, quàm meridionalem multum calidam. Septentrionalem quippe fortem, quia propter frigus humores cõpacti

pacti

pacti non statim obediunt expulsioni. Meridionalem calidam debilem, quoniã plurima eorum quæ uentrem soluunt (Principe asserente) calida sunt, & duarum acuitatum coniunctio tolerari non potest, quoniam uirtutes in eis debiles erunt, & dissolutæ. Cùm hoc quod exterius climatis incendium, materiam ad exteriora, & medicina ipsam ad interiora trahit. Vnde magna in diuersas partes protractio prouenit, ad resistentiam perducens.

Quarta primi cap. 3.

THEODORICVS,

Corporis experiar naturam : nam calidorum
Mobilis est, gelidis uiscera dura nimis.

Examinanda complexio.

SCHOLIA,

¶ *Corporis experiar.*] Vnde debilem expetũt medicinam, & opposito modo se habentes fortem.

THEODORICVS,

Aeolus et Boreas siccãt. Zephir humet et Auster,
Istud & eludit sæpius artifices.

SCHOLIA,

¶ *Aeolus &,*] Qualiter uentorum disparceitas consideranda, Princeps habet secunda primi.

Doctr. 2. sum. cap. 10.

THEODORICVS,

Sexus iter uariat quia fœmina pharmaca parua
Et rarò accipiet menstrua mollis habens,

Sexus considerandus & artificium.

Esse laboriferos quosdam scio, sed colit umbrã
Segnis, & hos simili non medicere modo:
Nanq; laboranti nõ sunt bona pharmaca, uerũ
Vltima si fuerit hæc habitudo dabis.

SCHOLIA,

¶ *Nanq; laboranti.*]Nam per exercitium multæ resoluuntur superfluitates, dum sudores elicit.

¶ *Vltima si fuerit.*]Et id Galenus innuit cõmento super 1. aphor. 3. Plenitudo in ultimitate existens, festinam inanitionem requirit. Et Hippocrates: In exercitantibus ad summum, bonæ habitudines sunt fallaces.

1. aphor. 3.

THEODORICVS,

Otia qui miscent epulis, largabis, at illos
Corporibus molles, pharmaca parua monẽt
Qui studet aut scribit, labor hic seruare salutẽ,
Nescit, fit moto corpore longa salus.

SCHOLIA,

¶ *Qui studet.*] Studiosis exercitium inculcat, sed moderatum, & non euacuationẽ, ut qui sese crebrò per diaphoresim uigilando euacuent.

THEODORICVS,

Virtus obseruanda.

Maxima uirtutis discretio, fortia fortem
Nempe decent, tenuem potio parua mouet.

SCHO-

SCHOLIA,

¶ *Maxima uirtutis.*]Virtus euacuationem ſic limitat, ſeu menſurat in tantum, ut Galenus primò uirtutem, & hinc morbum cõtemplandum iuſſerit: per uirtutem autem intelligimus animalem, naturalem & uitalem: maximè tamen uitalem, quam Princeps dextro oculo intuendam ſuadet.

Gale. 2. mega tech.

Quarta primi. cap. 3.

THEODORICVS,

Amentes etiam quoties purgare licebit,
Debetur chronicis potio nanq; frequens:
Ergo minus fortis dabitur medicina, furentes
Morbos purgari ſufficit uſq; ſemel.

Chronici & acuti diuerſas medic.

SCHOLIA,

¶ *Ergo minus fortis.*] Quia chronicis ſtatus non eſt propinquus, meliorem multiplicationẽ numeri docet autor, quàm quantitatis. Et ſic leuiorem quoq; medicinam offerendam iubet: ſed furioſo morbo exiſtente, diuerſum ſuadet.

THEODORICVS,

Conuenit humoris qui morbũ cauſat, habere
Notitiam, proprio ſtillet ut ipſe duce.

Humoris cogni. neceſſaria.

SCHOLIA,

¶ *Conuenit humor.*]Niſi enim humoris euacuandi cognitionẽ habeamus, facilè committimus errorem: ut dum choleram euacuare nitimur, phlegma euacuemus: dum

phlegma, cholerã. Id Hali super Tegni propensius docet.

THEODORICVS,

Membri læsi situs considerandus.

Eiusdem cognosce situm, pariterq; locorum
Gaudent antidoto singula membra suo,
Cor uentris uomitu purgetur, pectore sano,
Tempore non gelido, si uomat ille citò.

SCHOLIA,

¶ *Cor uentris.*] Ideſt, os ſtomachi: uenter enim ſæpius pro ſtomacho ponitur, Galeno teſte, quando inquit, Ventris cognitiones, &c.

Lib. 2. tegni comment. de ſtom.

¶ *Vomitu purgetur.*] Euacuando ſecundum quod natura dederit indicium, nos laborare monet autor, Hippocratẽ ſequutus, dicentem: Quæ dicere oportet undecunq; maximè natura repit, eò ducere per conuenientes regiones: corde enim ſtomachi nauſeante, uomitum in aſſuetis, non habentibus pectus ſtrictum naturaliter, uel ſymptomaticè, tempore non gelido, commendat. Coo item ſeni ſubſcribens quartò aphoriſ. libro: Graciles & facilè uomentes, purgare ſuperius, cauentes hyemem: difficile uerò uomentes & mediè carnoſos, inferius, timentes æſtatem. Smilem ſententiam Auicenna ponit quarta primi.

1. a phor. 21.

4 aphor. 6. & 7.

Auic. cap. 3.

THEODORICVS.

Inteſtina uolunt ſecedere, mittit hepar quod

A ſimis

A simis, quoniam mingere gibbus amat.

SCHOLIA,

¶ *Intestina uolunt.*] Sic Cordubensis medicus. Cùm materia fuerit in gibbo hepatis, euacuanda est per urinam. Et si in concauitate per secessum, quoniã (inquit) hepatis gibbositas, mẽbris urinæ est associata, & eius concauitas intestinis.

Auic. quarta primi, cap. 11. & 3.

THEODORICVS,

Per nasum caput purgatur siue palatum,
Producit matrix mensura, pulmo sputum:
Nonnunquã teneros purgare solemus ocellos,
Auris pharmatica sæpe iuuatur ope,
Atq; diaphoresi purgamus & igne latentem,
Humorem quem nunc continet ipsa cutis,
Vena potest tangi, si sanguis peccet: at illum,
Pars secreta uiri fundere sæpe solet.

SCHOLIA,

¶ *Igne latentem.*] Id est, scarificatione.
¶ *Pars secreta uiri.*] Fluxũ intelligit hæmorrhoidalem in uiris.

THEODORICVS,

Per signa morbi cogn.

His igitur diuersa dabis, quia signa notabis,
Per quæ nota tibi causa sit atq; locus.
Hæc natura loci, morbus, dolor, & tumor, &
Egeritur, uirtus læsa, docere ualẽt. (quod
Quo purgare uoles, & quantũ prospice, fortes
Et pleni leuiter pharmaca dira ferunt,

Aſſuetis aſſueta dato, ſummiq; laboris
Tempore ne purges: eſt bona uera quies.

Conſuetudo obſeruanda.

SCHOLIA,

¶ *Signa notabis.*] Quomodo in cognitionē uenire debeamus cauſarum, Galenus habet 2. tegni.

¶ *Aſſuetis aſſueta.*] Hippocrates ea ſic docet, Quæ ex longo tempore conſueta ſunt, & ſi deteriora ſunt, inſuetis minus moleſtare ſolent: oportet igitur non ad inſueta tranſmittere.

2. aphor. 50.

THEODORICVS,

Videris humorem peccantem, uideris illum
Pharmaca quæ dicunt corpora fluxa face.

SCHOLIA,

¶ *Fluxa.*] Hippocrates ait, ubi quis uult purgare, oportet fluida facere prius.

2. adhor. 9.

THEODORICVS,

Pinguia iura dabis, ut malua, molochia, ſicla,
Chryſolocanna, blitis, mercurialis erunt.
Hæc facis ante doſim medicinæ materiamq;
Digeris, eſt equidem cruda mouere nephas.

Digeſtio materiæ præmittenda.

SCHOLIA,

¶ *Pinguia iura.*] Ante exhibitionē medicinę exſoluentis, dandum eſt leniens aliquod uentrem.

¶ *Ante doſim.*] Id eſt, antequàm porrigas.

1. apho. 22.

¶ *Materiam digeris*] Digeſta medicari & mo uere

uere non cruda, Cous ſenex monet.

THEODORICVS,

Frigida ſi fuerit cum melle bonum dabis oxi
Phlegma diureticum digerit abſq; pari.
Squilliticū choleram nigrā domat aut iuiubinū
Primitus incipias à leuiore tamen.
Si caleat morbus in ſummo, quod cholera fit,
Potet acetoſum, mixta ſit unda calens,
In ſtomacho cholerā magis oxiſaccara frenat,
Sedat & auertit plus nocumenta ſitis.

SCHOLIA,

¶ *Frigida ſi fuerit.*] Doctiſsimè hos uerſus interpretatur Ioannes de ſancto Amando in antidotario Nicolai: quia tamen id multis tractat, lectorem eò tranſmittimus, ubi de ſyrupis digeſtiuis ſcribit.

THEODORICVS,

Ex digeſtiuis unum compone duobus,
Compoſitus quoties euacuare uoles.

SCHOLIA,

¶ *Compone duobus.*] Si morbus non ſimplex fuerit, digeſtiuo compoſito erit opus.

THEODORICVS,

Quando digeſtiua exhibenda.

Sero uolunt quidam dare digeſtiua, ſed illud,
Crede mihi, pleno uentre nocere ſolet.
Ante diem ſummum alij, gratiſsimus iſte,
Mos mihi, ſi modico membra ſopore leuent.
Si liquor urinæ ſpiſſetur & alba, profundum

Fex petat, & fiat magna magisq; rubens:
Tunc uada prætenta Paulini da cubituro,
Siue hieræ drachmas nocte sequente duas.

SCHOLIA,

¶ *Tunc uada prætenta.*] Signis factæ digestionis habitis, experire Paulini antidoto, an patiens facilis solutionis sit, & da cubituro huius ℥j, aut ℥ij. Si enim succedat, hinc solutio, facilem iudica: si minus, difficilem.

THEODORICVS,

Solidis medici lenit. præmitten.

Hoc facias solidam quando dare uis medicinã,
Nec laxatiuum sumpserit ille prius.
Accidit et stomacho data quod medicina repleto,
Sedibus in primis integra tota fluunt.
Vtilis est igitur prætentatio, ne sic
Frustratus cupiat præmia nulla labor.
Hortor & ut plures habeas pariter medicinas,
Sit quædam reliquis semper acuta magis.
Si sit acuta parum, magis addere pergis acutũ.
Conueniat causæ quod tamen usq; tuæ.

SCHOLIA,

¶ *Hprtor & ut plures.*] Si una frequentius offeratur, degenerat ea, & fit cibus, nihilq; operatur.

THEODORICVS,

Regulę de uomitu.

Dans uomicã releges oculos, & pectus inũgas,
Ante tamen uarium sumpserit ille cibum.
Suauiter ire iube per tectum, frigus opacum,

Dic caueat, redimat guttur, & inde uomat.

SCHOLIA,

¶ *Ante tamen uarium.*] Ea quoq; his uerbis Hippocrates docet. Ad helleboros qui nō facilè sursum purgantur, ante bibitionem oportet præhumectare corpora plurimo nutrimento, quarta primi idem scribit Auicenna. Diuersitas enim nutrimentorū, stomachum ad expellendum & euomendum incitat.

4.aphor.13.

cap.4.& 5.

THEODORICVS,

Si dare ductiuum disponis apozima, puluis
Mixtus cum gelida mane bibatur aqua.
Deinde bibat gelidā, bene colluat os, ut amarus
Raued Barbarici cedat ab ore sapor.
Frigida tardantem medicinam concitat, ut plus
Ducat, & oppositum dat tibi limpha calēs.
Pillula sub nebulis detur celata uel ouis,
Mollibus aut uuis, cerasia' ue cute.
Expectet tenebras & sera crepuscula, dū nox
Spergat in occiduum sydera clara polum.
Præcipuè si parua dies, si sole moroso
Mulcet contractos sedula pluma pigros.
Post hoc dormitum dimitte, cubet quoq; donec
Viscera rugitus exonerare patet,
Moto uentre moue corpus, sed leuiter, ut non
Sudet, & euitet frigora peste magis.
Si benè purgetur, si suauiter, & satis æquo

Modus exhibition. med. liquidæ.

Legendus est Mesue cano. uniuers.

Pillulæ quando exhibendæ.

Et ua-

Et ualido pulſu uentre tumente minus.
Exhibeas calidam quæ uentrē mundet, & inde
Poſt aliquot paſſus membra ſopore leuet.
Circiter undenam dabitur paucus cibus horam
Abſtemius calidam miſceat ipſe mero.

SCHOLIA,

4. aphor. 14.

¶ *Moto uentre*] Sic Hippocrates habet, Cùm quis ueratrum biberit, ad motiones quidem corpus magis oportet ducere, ad ſomnos uerò & immobilitates minus. Declarat autem nauigatio, quoniam motus corpora turbat. Auicennam & idem uoluiſſe quarta primi declarat: & Meſue in ſuo de conſolat. medicinarum. Illas euacuandi regulas, omnes fermè Princeps habet loco præallegato.

Quarta primi cap. 5.

Meſue intēt. 3. cap. 3. & 4.

LIBRI PRIMI FINIS.

THEODORICI VLSENII PHRYSII LIber ſecundus de medicinarum ſimplicium rectificatione & emendatione nocumentorum, hora purgationis derelictorum, cum Scholijs Georgij Pictorij Villingani doctoris medici, multùm proficuis.

Sed cum pharmacijs uiolētia præſit, & ira
Mota per effrenes, ut ſcamonea modos,
Cautus eam medicus ita præparet, ut neq; lædat
Viſcera, nec uacuet, quod uacuare nocet.
Cocta nec excoriat, nec multum laxat, ad illud
Coctona conueniunt pomaq́; paſta recens,

Quomodo emendetur ſcamonium.

Aut folium caulis, quo trita tegatur, & intra
Furnum aut cineres cocta moretur ibi.
Ne ue teras illam ſubtiliter, & ſit acutum,
Tempore nō modico quod dabis ante doſim
Si citò cogaris cuidam dare, da prius unctam,
Vnge manus oleo quolibet inde frica.
Præceps fortè uia ſi practicus erret in iſta,
Incidit in caſus, hei ſibi, ſæpe malos.

SCHO-

SCHOLIA,

¶ Quũ medicinis soluẽtibus, laboriosam quandam & effrenem sciuerit subesse uiolentiam author, qualiter accidentibus ex nocumento medicinæ, non ritè soluentis, mederi queamus, in hoc secundo libro docet. Et in primis exemplum ponit de scamonio, cui nisi singularem correctionis adhibeamus limam, quinq; malas conditiones habet, à Mesue enumeratas, quas Vlsenius hîc emendare docet. Tamen qui plura de hac re uelit, Serapio. legat, & Marsilium Ficinum in lib. de epidim. cap. 11.

Mesue in suo de simpl. libro.

Serap. lib. 7. medic. simp.

THEODORICVS,

Accidit astantum culpa plecti patientem,
Peccat & ægrotus in caput ipse suum,
Non piget idcirco casus quos sæpe uidemus
Ponere, per curas corrige quenq; suas.
Si data non ducit, si parua parum ue, medentis
Aut confectoris culpa subesse potest.
Culpa medentis erit, si parua parum sit acuta,
Confectoris item fit uiciosa dolo.
Vrinas, uomitus, sudores sæpe reuoluit,
Interdum patiens uentre tumere solet.
Ieiunare potens alia laxetur: at illa
Si mala non sentit, fortior esse potest:
Si malè torquetur, uel uentre tumet, leui esto,
Et detur postquàm ducere prima nequit.

Ostendit causas cur data medicina nõ soluat.

Hoc ti-

Hoc tibi dictabit pulsus cum tempore dudum
Transacto, sub quo ducere sumpta solet.
Debilis atq; timens ieiunia, non medicinam
Sumat, imò cibis parce timeto leui.
Crastina uult laxare dies, differre nocebit,
Nam solet in chronicas inde uenire febres.

SCHOLIA,

¶ *Accidit astantium.*] Sic Hippocrates habet, Medicum oportet non solùm seipsum prębere facientem quæ oportet, sed etiam ægrotantem, & præsentes, & ea quæ extrinsecus sunt. 1. aphoris. 1.

THEODORICVS,

Si uomat hòc patiar, nisi sint uitalia læsa,
Dummodo per longam manserit illa morā:
Nausea si uenerit præceps, & pectore læso,
Crura dolorosis nexibus arta liga.
Coctona uel cepas teneat, nō mandat, odoret
Inscius à gelida sæpe rigetur aqua,
Alapa si detur subitò, mediante stupore
Proderit, & terror dat moderatus idem.

Si uomitus post catarticum.
Si nausea

SCHOLIA,

¶ *Nexibus arta liga.*] Id est, ligaturis diuertendum utere.

¶ *Manserit illa moram.*] Quoad natura ipsam circundet.

¶ *Coctona uel cepas.*] Mentam, folia citri, absinthium, sansucum, uel appium.

¶ A gelida

¶ *A gelida rigetur.*]Pro unitione & confortatione ſpirituum.

THEODORICVS,

Si non laxatum diſtendat tortio uentrem,
Coctona ſumpta premũt uiſcera, preſſa fluũt
Offendi flatum ſi uideris, aut premat aluus,
Pectus, clyſtere concitus acre facis,
Omne calens extra poterit lenire dolorem,
Ordea uel milium, pannus, auena tepens,
Multa ſali toſto uis eſt, aſſoq; cimino.
Et ueſica mero plena iuuare ſolet.
Spongiolas, lanas, lateres ſub ueſte calentes,
Infundi calido proderit uſq; mero.

Si tertio propter uentoſit.

Anodina oſtendit.

SCHOLIA,

¶ *Coctona premunt.*] Corrugando ſeu comprimendo ſuam perficiunt operationem, quod mariana quoq; faciunt, id eſt, poma ſylueſtria, pira, mirabolani & maſtix.

SCHOLIA,

Si ſuper os ſtomachi tortura ſit, atq; laborans
Nauſeet: hic calidam potet, & inde uomat.
Si nunquã uomuit, dare coctona cõuenit oſſa,
Aut quod detrudat uentris in ima malum.
Si plus laxetur quàm competat à medicina,
Ipſius haud fáſtu, culpa medentis erit,
Si patiens biberit, frigus non cauerit: æſtum
Senſerit, aut pacem læſerit ira tumens,

Si dolor ſtomachi.

Si ſoluit ultra quã oportet.

Hoc

Hoc patientis erit uicium, ſi de medicina,
Plus iuſto detur, uel ſit acuta nimis,
Nec bene diſcreuit, cui quæ data ſit medicina,
Qui dedit, hoc medico imputet omnis homo.

SCHOLIA,

¶ *Ira pacem læſerit.*] Id eſt, Si patiens iratus fuerit.

THEODORICVS,

Ergo qui ſoluit conſtringat, ſed uigor ægri,
Perpendatur ei, qui fluit humor item,
Debilis exiſtens citò conſtringatur, habebit
Tormina, ſed uentrem nolo mouere, tamen
Primitus ut ſudet ſtudeas per balnea, ſiue
Stuphas, aut uentrem crebra plagella tegat.
Oua dabis quib. impones de maſtice drachmas
Penè duas, ſed & hoc puluere pone modū.
Sæpe ſarimatam dedimus cum maſtice, cuius
Os ſtomachi pulſant ſyncopis atq; fluor.
Si purgat cholerā pro phlegmate potio, multū
Debilitat, torquet, ſigna maligna facit.
Si multum duxit, conſtringas ut priu::at ſi
Non multū duxit, detur potio flegma trahēs
Crede mihi prius afflictus ſeu debilis, ex quo
Phlegma fluit fortem ſe feret atq; leuem.

Virtus perpendenda.

Si indebilis ſoluit.

SCHOLIA,

¶ *Sed uigor.*] Id eſt, uirtus.

¶ *De mastice drachmas.*] Mastix compressiuè expellit, & demum restringit.

THEODORICVS,

Singultus post purgationem.

Singultans si plenus erit, fac currere uentrem,
Si uacuus pultes sumat, & oua bibat
Perpessus frigus pannis tepefiat, & igne,
Neue tamen fumo sit lachrymosa domus.

SCHOLIA,

¶ *Si uacuus.*] Id est, sumat humectantia & restaurantia.

THEODORICVS,

Synco

Syncopis immanis per pultes cedit & oua,
Et rodostoma ualet, & bonus omnis odor,
Irroretur aqua facies uiolæ, rosa, myrthus
Nare capessantur, basiliconq; recens.

SCHOLIA,

¶ *Rodostoma.*] Id est, aqua rosata, teste Syluatico.

THEODORICVS,

Lippothomia.

Accidit interdum medicina quod helleborata,
Dum uentosa furit lippothomia uenit.
Ista cerifolio uel compescetur aneto,
Vel quocunq; dato uentus & aura perit.

SCHOLIA,

¶ *Lippothomia.*] Est defectio cordis, Cassio Felice scribente.

THEO-

THEODORICVS,

Qui bibit helleborũ, dormire uolet, sed in ipso
Ne pereat somno, barba trahatur ei.
Membra uigil moueat, donec bene sit uacuatus,
Post hæc concessus mulceat illa sapor.

SCHOLIA,

¶ *Bibit helleborum.*] Medicinam nimis fortem & uenenosam.
¶ *Dormire uolet.*] Somnum subethicum.
¶ *Membra moueat.*] Ad hoc Hippocraticum, 4. aphor. 15. Si uis magis ducere moue.

THEODORICVS,

Sæpius ex multo conatu pressa tenasmon,
Viscera senserunt, aut cadis alue foras. Tenasmon.
Vt sanguinis effrenis cor mirabolanûm,
Visceribus macris est speciale bonum, Fluxus sanguinis.
Hos ergo roseo ueteriq; fouebis oliuo,
Quod calidum bombix imbibat atq; ferat.
Conari prohibe uentrem, cohibere uolentem,
Præcipe né ue præmat né ue moretur ibi.
Se male torqueri feces euadere uelle
Iurabit, tu dic perfer & ecce salus,
Pinguedo sublata capræ de renibus, & pix
Græca, uapore suo posteriora petant.
Encatisma para rosa, myrtha, balaustia sunto,
Insimul & pluuiæ mixta coquantur aqua.
Consulo misceri quod molliat accipe maluam,

Furfur item mixtus hæc cohibere solent.
Insuper his plenum calidumq; sedere sacellum,
Præcipe, constipans esto dieta leuis.

SCHOLIA,

¶ Encatisma.] Encatisma, sessio est in aqua, uel tina usq; ad umbilicum. Cass. Felix.

THEODORICVS,

Si febris post purgationẽ.

Si febris acciderit, ad balnea duc patientem,
Aut calidam fundas in caput eius aquam,
Istud in ephimeris, est præcipuè faciendum,
Præcellat subitò si cephalea caput.
Hoc quoq; multiplici studeas circũdare panno,
Sudet & obrepat lenis in ossa sopor,

Si febris post balneum.

Si febris affligat post balnea, non erit humor
Tractus & eductus, unde relicta febris,
Quo circa si fortis erit plus ducere tenta,
Crastina debilibus fluxilis esto dies.

SCHOLIA,

¶ Ad balnea.] Balneum esse potest tam uniuersale, quàm particulare: uniuersale toti corpori cum calidis & humidis tepidum, particulare pedibus aut capiti seu alteri membro. cum aperitiuis & sudare facientibus calidus.

THEODORICVS,

Spasmus.

Spasmus inanitis plenisq; superuenit, huius
Cura, dieta, quies, illius esto fluor,

Sepe

Sæpe negatiuus medicos eludere ſpaſmus
Conſueuit, ſed enim fumus & aura facit.
Iſte ſequi ualidum fluxum ſolet unde dolentis
Corpus inanitum creditur eſſe nimis.
Subueniunt illi uentrem pellentia: at iſte
Daphnileon fugiens undiq; ſeptus abit.

SCHOLIA,

¶ *Fumus & aura.*] Euenit quandoq; ſpaſmus, quod medicina ſubleuat uaporem turbidum & groſſum, ad neruos cum uentoſitate inflatiua, quē negatiuū hic uocat. ¶ *Daphnileon fugiens.*] Ceſſat hic ſpaſmus, ſi oleo patiens laurino illitus fuerit. Niſi Dapnileon legendum ſit, quod oleum de laureola ſignificat.

THEODORICVS,

Nunc huc, nunc illuc diſcurrit, contrahit, arcet,
Si loca feſtines illa fricare, fugit.

SCHOLIA,

¶ *Illa fricare fugit.*] Et hic de negatiuo loquitur, qui aliquando fricando digeritur.

THEODORICVS,

Euenit et temerè data quod medicina uidetur
Per tres ſiue duos nolle nocere dies,
Tertio poſt illos & diſſenteria pulſant
Viſcera, quæ reddes ſana priore modo.
Hos ſcamonea ſolet caſus infligere, frenum

Si neglexit adhuc non bene mixta suum.
Hactenus indomitis Elegia de medicinis,
Dixerit, en portum nostra phaselus habet.

SCHOLIA,

¶ *Priora modò.*] Hoc est, euacuationis uia.

LIBRI SECVNDI
FINIS.

❧ Q. SERENI SAMONICI PRACTICVS LIBER, POETICA MVLtumque artificiosa methodo, de omnium morborum & symptomatũ curatione, elegantissimè conscriptus: ac per GEORGIVM Pictorium Villinganum, doctorem medicum, & apud Cæsareã curiam Ensishemij archiatrum, annotationibus summa diligentia illustratus.

Q. SERENI SAMONICI VITA, *quam Conradus noster Gesnerus Tigurinus philosophus, in sua Bibliotheca sic descriptam ponit.*

QVintus Serenus Samonicus Gordiani iunioris præceptor fuit. Cuius meminit Spartianus in Caracalla his uerbis: Occisi sunt & in balneis plures, & in coenis, inter quos Samonicus Serenus, cuius libri plurimi ad doctrinam extant. Macrobius quoque Saturnalium tertio, Carmina quædam de urbibus deuouẽdis, in libro quinto Reconditorum Samonici Sereni reperisse se ait. Supersunt hodie hij hexametri, præcepta medicinæ continentes.

Q. SERENI SAMONICI PRACTICVS LIBER,

poëtica, multumq; artificiosa methodo, de omnium morborum & symptomatum curatione, conscriptus: ac per D. GEORGIVM Pictorium Villinganũ, doctorem medicum, Annotationibus summa diligentia illustratus.

PROOEMIVM.

MEmbrorum series certo diducta tenore
Vt stet, consimilis medicinæ defluat ordo,
Principio celsa de corporis arce loquamur.
Phœbe salutiferum (quod pangimus) assere carmen. Inuocatio.
Inuentumq; tuum prompto comitare fauore,
Tuq; potens artis reduces qui tradere uitas
Nosti, atq; in cœlum manes reuocare sepultos,
Qui colis Ægeas, qui Pergama, quiq; Epidaurũ

Qui quondã placida tectus sub pelle draconis
Tarpeias arces, atq; inclyta templa petisti,
Depellens tetros præsenti numine morbos,
Huc ades: et quicquid cupido mihi sæpe rogãti
Firmasti, cunctum teneris expone papyris.

G. PICTORII
SCHOLIA,

¶ De morbis scripturus author, poëtico ritu Apollinem medicinæ inuentorem in primis inuocat, & eius filium Æsculapiũ secundò, quem ex Epidauro Romam in serpentis specie, cladem contagij diluendam esse, delatum asserit. Id fortassis ex Valerij Maximi factis memorabilibus colligens, qui rem totam describit primo libro, capite octauo de miraculis. Pollicetur hoc procemio, à capite, summa corporis arce, uelut à re diuinissima se facturum operis sui initium, modò dexter sibi inuentũ communicet uterq; inuocatus. Quòd medicina, Apollinis inuentum sit, Naso transformationum primo libro indicat, ubi tali modo de se loquitur,

Inuentum medicina meum est, opiferq́; per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

CAPITI MEDENDO.
CAP. I.

Balsama si geminis instillans auribus addas,
Tum poteris alacrem capitis reparare uigorẽ,

Vel quæ

Vel quæ ſeptenis cenſentur gramina nodis
Vtiliter nectes, uel corno ex arbore ſertum,
Pulegium'ue potens, una ſuper aure locabis,
Aut illud mixto recoquens clementer aceto
Cauta nare trahes, ſeu uiſco lintea nexo
Induces fronti, ſeu tritæ gramina mentæ:
Spongia cũ tepitis annexa liquoribus imbris
Profuit, aut hedera ex oleo decocta uetuſto
Profuit, & cochleis frontem tractare minutis,
Si nocuit cerebro uiolentia Solis aperto
Sæpe chelidonia ex acido perducta liquore
Sanauit: proſunt & amica papauera ſomno,
Si prius in lento madefacta terantur oliuo.

SCHOLIA.

¶ *Balſami ſi geminis.*] Opobalſamum, quod eſt balſami arboris liquor, intelligit, de quo Galenus ad Paternianum cap. 288. ſcribit: & Princeps ſecundo canone, cap. 85.

¶ *Vel quæ ſeptenis.*] Herbam intelligit, à geniculorum frequentia polygonon dictã: cuius Apuleius meminit in libro de Viribus herbarum, cap. 18. & Plinius lib. 27. cap. 12.

¶ *Cauta nare.*] Diligenter enim curandum eſt ne caputpurgia, quæ potiſsimùm ex liquoribus fiunt imprudenter & impetuoſe ad cerebrum per nares trahantur.

¶ *Acido liquore.*] Id eſt, aceto.

¶ Papa-

¶ *Papauera amica somno.*] Dormire facit papauer Auicenna teste, secundo canone, capite 565.

¶ *Lento oliuo.*] Rhodoleo Dioscorides habet quarto libro, cap. 63.

HEMICRANIO MEDENDO.
CAP. II.

Portio si capitis morbo tentetur acuto,
Allia diuersam lana contecta per aurem
Inducta prosunt, & eodem balsama pacto,
Allia uel ternis piperis terna addita granis
Trita limes, certam dabit hæc tibi cura salutem.

SCHOLIA.

¶ *Morbo tentetur acuto.*] Is morbus hemicraneus dicitur, quòd ex una tantùm capitis parte affligat altera illæsa, nihilq; detrimenti sentiente.

PORRIGINI DEPELLENDÆ.
CAP. III.

Est insensibilis morbus, sed noxia forma
Cùm caput immensa pexum porrigine ningit,
Copia farris uti frendentibus edita saxis,
Hanc poterit maluæ radix decocta leuare,
Aut tu fœniculum, nitrumq; & sulphura uiua
Contere, deinde caput permistis ablue cunctis,
Furfuribusúe nouis durum miscebis acetum
Vt uarios crines tali des unguine puros,
Prodest & tarda demptus testudine sanguis,

Et pro-

Et prodest cedro dimissus ab arbore succus,
Desinet interea glomerari furrea nubes,
Cessabitq; grauis crebræ porriginis himber.

SCHOLIA,

¶*Est insensibilis morbus.*] Quidam porriginẽ lepidam nominant, quam Galenus non morbum arbitrantur, quòd solitas operationes non impediat.

CAPILLO TINGENDO. CAP. IIII.

Quos pudet ætatis longæ, quos sancta senectus
Offendit, cupiunt properos abscondere canos,
Et nigrum crinem fuco simulare doloso,
His prodest acri contrita cupressus aceto
Vel frons lentisci, uel tristia poma sabuci,
Lumbrici quoq; terrestres miscentur oliuo,
Et iuuenem præstant rediuiuo flore capillum,
Præterea niueum poterit depellere crinem,
Rhesina ex facili cæra uiscoq; coacta,
Ad rutilam speciem nigros flauescere crines
Vnguento cineris prædixit Tullius autor,
Si prægnans artus captiui soricis edit
Dicuntur fœtus nigrantia lumina fingi.

SCHOLIA,

¶*Vel frons lentisci.*]Decoctũ arboris quam Guaiacum quidem opinantur, Plinius lentisci oleum habet lib. 23.

¶ *Lumbrici terrestres.*] Et id Plinius testatur lib.30.cap.14.

¶ *Poma sabuci.*]Sambuci baccas intelligit, cuius Auicenna recordatur secundo Can. cap. 614. Sereno Plinius suffragatur, lib. 24.cap.8.

¶ *Si praegnans.*]Hæc uerba Plinij sunt: Quũ oculi nigri nascentiũ placent, soricem prægnanti edendum exhibe, lib.30.cap.14.

PHTHIRIASI ARCENDÆ. CAP. V.

Noxia corporibus quædam de corpore nostro
Progenuit natura uolens abrumpere somnos
Sensibus & monitis uigiles incendere curas,
Sed quis non paueat Pherecidis fata tragœdiæ
Qui nimio sudore fluens animalia tetra
Eduxit, turpi miserum quæ morte tulerunt:
Sylla quoq; infelix, tali languore peresus
Corruit, & fœdo se uidit ab agmine uinci.
Sæpius ergo decet mordax haurire sinapi
Vel nitro ac sale permixtis acidoq; liquore
Laxatæ (ut sint simul allia) tãgere corpus [dri,
Aut lachrymis hederæ, aut succo perducere ce
Quin etiam furfur mixto medicatur aceto.
Vnda maris lendes capiti deducit iniquas,
Et quicquid crebri defendit sylua capilli.

SCHOLIA.

¶ *Phthiriasi arcendæ.*] φθειρίασις morbus pedicularis

cularis est, qui aliquibus in pilis superciliorum contingit, aliquibus in uniuerso corpore emergit.

¶ *Pherecidis tragœdi.*]Tragœdum hunc fuisse Pherecidem Badi filium, nusquam inuenio. Sed quia in Delo multa insolentius de sapientia ad suos discipulos professus est, reticereq́; nequiuit, quòd nunquã deorum alicui immolarit, Apolline irato, finẽ tragicum assecutus est, & pediculorũ esu consumptus: uelut de se in quadam epistola ad Thaletẽ scribit. De hoc philosopho plura Laërtius habet primo libro, ultimo capite.

¶ *Sylla quoq; infelix.*]Sylla dictator, cuius recordatur Plinius, lib. 7. cap. 43.

DE PRVRIGINE, PAPVLIS ET SCABIE. CAP. VI.

Illotus sudor, uel copia nobilis escæ
Sæpe graui scabie correptos asperat artus,
Ergo lutum prodest membris adhibere fricatis
Quod facit ex asino siccatus corporis humor:
Nec pudeat tractare fimum, quem bucula fudit,
Stercoris ex porco cinerẽ confundito lymphis,
Sic pauidum corpus, dextra parcente, foueto:
Proderit ex oleo puluis, quem congerit alte
Dulcibus ex latebris patiens formica laborum:
Cõuenit hinc tepido lita tradere corpora soli,

Feruentes

Feruentes papulas oleo curato liquenti,
Aut acido Baccho miſcebis farra lupini,
Atq; hinc in calido percurres membra lauacro:
Pruritus autem ſalſos leuat humor aceti,
Siue maris rabidi ſudor, cochleæq; minutæ
Quarum contactu perimetur acerba libido.

SCHOLIA,

¶ *Ex aſino corporis.*] Sic carminis ratione per hypallagen ſcripſit, pro Ex aſini corpore.
¶ *Lita tradere.*] Pro illita.
¶ *Feruentes papulas*] Papulæ, grana ſunt minuta, uel puſtulæ albæ quæ naſcuntur in facie: has quædam furunculos nominant, quòd cum inflammatione potiſsimùm oriantur.
¶ *Maris ſudor.*] Id eſt, maris ſpuma, quam alcionium uocant.

DE PHRENESI ET CAPITE PVRGANDO. CAP. VII.

Ex uicio cerebri phreneſis furioſa mouetur
Amiſſasq; refert frendens amentia uires,
Siue calens febris iactatos exedit artus
Siue meri guſtus, ſeu frigoris efficit aura,
Conuenit hic calidis pecudũ pulmonibus aptè
Tempora languentis medica redimire corona:
Illotis etiam lanis ſuffire memento,
Ceritum ſæpe horrendi medicantur odores
Atq; ideo inſanos etiam curarier eſt par,

Purgatur

Purgatur cerebrum manſa radice pyretri,
Vngitur & ſuccis, dederit quos parua ſabucus
Expreſſusq; hederæ mandatur naribus humor
Aut mixtum rutæ crebrò inſtillatur acetum,
Non ſemper præſens dolor eſt ſanabilis: ergo
Cura magis prodeſt uenturis obuia morbis.

SCHOLIA.

¶ *Phreneſis furioſa.*] φρενῖτιν inſaniæ ſpeciē eſſe perhibent autores, ex acuta febre cum dementia continua, ac capitis dolore uehementi, adiuncto quandoque apoſtemate.

¶ *Siue meri guſtus.*] Quandoq; enim capiti hic morbus aliunde communicatur, & παραφροσύνη dicitur, hoc eſt delirium. Meri hîc pro ſtomacho accipitur.

¶ *Illotis lanis.*] Impurgatis, quas ſuccidas medici uocant.

¶ *Purgatur cerebrum.*] Manſa radice pyretri, hoc eſt ea radice maſticata.

¶ *Mandatur naribus.*] Attractionis uia.

¶ *Cura magis prodeſt.*] Difficilis curæ hic morbus cenſetur, unde uenturo ſuadet obuiandum, pro hoc Perſiano ex ſecundo Sermonum:

Helleborū fruſtra cùm iam cutis ægra tumebit
Poſcentes uideas, uenienti occurrite morbo.

Quod etiam Claudianus monet ſecun-

do libro in Eutropium:

——*Veteri morbo*

Pæonias nec quicquam admoueas herbas.

DE FLVORE CAPILLORVM, ET MACVLIS CAPITIS TOLLENDIS. CAPVT VIII.

Defluit expulsus morbo latitante capillus.
Si rarò lauitur, seu uis epota ueneni est
Seu salamandra potens, nullisq; obnoxia flāmis
Eximium capitis tactu deiecit honorem,
Nonnunquā uariant maculæ, paruisq; parūper
Orbibus aspersum ducit noua uulnera tempus
Vipereæ pellis cinerem his apponito rebus,
Roboreas ue pilas ursino iungito seuò
Vel testudineo mage præmulceto cruore.

SCHOLIA,

¶ *Seu salamandra po.*] Si uirus salamandræ quòd ore uomitur, hominem aliqua parte tetigerit, statim eius pili defluunt: Plinio teste. Martialis uetulæ sic imprecatus est:
Hoc salamandra caput, uel sæua nouacula nudet.

¶ *Nullis obnoxia flammis*] Huic animali tantū inesse rigorem idem autor scribit, ut ignē non alio modo quàm glacies extingunt lib. 10. cap. 67.

¶ *Roboreas pilas.*] Gallas intelligô, quercuum poma.

DE CONGELATIONE, AVT FRIGORI SEDANDO.
CAP. IX.

Sæpe ita peruadit uis frigoris, ac tenet artus
Vt uix quæsito medicamine pulsa recedat,
Si ranam ex oleo decoxeris, abijce carnem
Membra foue, parili sanat ratione rigorem
Vrticæ semen, perceptaq; frigora uincit,
Et ceruina potest mulcere medulla rigorem,
Decoctum raphani semen cum melle uorabis
Siue fel ursinum tepefacta dilue lympha,
Proderit hoc potu, seu caßis ostrea testis,
Vsta dabit cinerē, qui pro sale sumptus in escis
Deducit gelidum tepefacto uertice uirus,
Nonnullus liquidum sumit, mulsumq; sinapi,
Atq; palata agitat, pariter retinensq; uomēsq;,
Allia nonnulli mandunt, oleí ue liquore
Perfundunt calido cerebrum nasiq; latebras,
Quidam lactucæ credunt prodesse sapores,
Curandi modus hic, & suauis & utilis idem est

SCHOLIA.

¶ *Caßis testis.*] Id est, uacuis.
¶ *Ostrea.*] Dicimus ostrea & ostreum, Sernio teste super primum Georgicorum.
¶ *Atq; palato agitat.*] Gargarizat.

ELEPHANTIASI PROPELLENDÆ. CAP. X.

Eſt elephas morbus triſti quoq; nomine dirus,
Non ſolùm turpans infandis ora papillis,
Sed citò præcipitans funeſto fata ueneno,
Huic erit aduerſus cedri de cortice ſuccus
Muſtellæq; cinis, uel fuſus ſanguis ab illa,
Nonnulli dixêre ſerum prodeſſe bibendo,
Mentaſtri folium potu, appoſituq; ſalubre eſt,
Nec fruſtra bulbos & ſulphura iungis aceto,
Præterea nitrum debes cum melle iugatum
Spargere, lacte bouis, uarias ſic ungere frontes,
Ceruſam & chartã, quam gens Ægyptia mittit,
Thure ſimul miſceq; oleum, quod flore roſarũ
Conditum eſt, line ſic faciem, ſic redde ſalutem.

SCHOLIA,

¶ *Eſt elephas morbus.*] Ελεφαντίασις morbus eſt ex humore melancholico, quo corpus multis maculis ſquamisq́; induratum deformatur, ad modum cutis elephantis: & eſt ſpecies lepræ.

¶ *Charta quam gens.*] Charta, herba eſt aquatica, de qua Galenus octauo libro Simplicium, capite trigeſimotertio. Auicenna libro ſecundo, capite 441.

DE CVTIS ET FACIEI VICIIS ET IMPETIGINIS PROPELLENDIS. CAP. XI.

Inuida si maculet faciem lentigo decoram,
Nec prodesse ualent naturæ dona benignæ,
Erucam atq; acidum laticem, simul illine malis,
Proderit & bulbus mellis dulcedine uictus,
Crudá ue dulcacido miscetur rapa liquori
Sanguine uel leporis morbus delabitur oris
Frons salicis cum flore suo contrita medetur,
Sepiolæ cineres ex oßibus omnia tollunt,
Cygneos adipes hilari misceto lyæo,
Omne malũ properé maculosó ex ore fugabis
Horrebit si liuor atrox aut nigra cicatrix
Attrito sapone genas purgare memento
Rugarum sulcos lentisci mastice tendes,
Si uerò uicium est, quod ducit ab impete nomẽ
Hoc matutina poteris cohibere saliua,
Seu folio platani quod mansum mane uorabis,
Fœda fluunt curui quæ purgamenta cameli
Vrentur, ciueremq; dabunt, iungentur aceto
Mascula thura simul, diuinaq; cura ualebit.

SCHOLIA,

¶ *Si maculet lentigo.*] Lentigo maculas faciei, à similitudine lentis, significat. Celsus lenticulas uocat. Eius generis sunt quæ Græ-

cis ἐφηλίδες appellantur, eo quod ἐκ τοῦ ἡλίου id est à ſole exurente cauſantur.

Acidum laticem.] Id eſt, acetum.

Dulcacidum.] Fictum nomen eſt ex dulci & acido.

Sepiolæ cineres.] Sepia, piſcis genus eſt, quod concha tegitur: hoc crematum in cinerem, non ſolùm lentigini, ſed uitiligini quoque, furfuribus, exaſperatæ, & à Sole tinctæ cuti mederi, Dioſcorides ſcribit libro 2. capite 20.

Attrito ſapone.] Sapo, Gallorum inuentum, ex ſeuo & cinere conficitur, Plinio teſte libro 28. capite 12.

Lentiſci maſtiche.] Id eſt, reſina lentiſci.

Ab impete nomen.] Impetiginis à Celſo quatuor recenſentur ſpecies: quarum prima, ſcabiei ſimilis eſt: ſecunda, rubrica uocatur: tertia, nigra: & quarta ſubalbidas habens ſquamulas & etiam quaſdam lenti ſimiles, quam incurabilem dicit.

AVRIVM VITIIS SVCCVRRENDIS. CAP. XII.

Quum ſæuus teneras dolor altè ſauciat aures,
Fraxinea in flammis fundit, quem talea ſuccum
Inſtilles: ſiue obſcœnos ex uirgine rores:
Aut ſuccũ ex folio dederit, quem populus alba,
Sæpe chelidoniæ rabidum ſociatur acetum,

Adiun-

Adiunctoq; nitro procedit cura salubris,
Mentastri liquor expressus conducere fertur,
Infectum uiolis oleum bene consulit auri:
Annosa rubros si legeris arbore uermes
Ex oleo tere: sic tepidos infunde dolenti,
Si uerò obtusa sensus remoretur in aure,
Lumbricos terræ, seuumq; ex ansere rauco
Excoque: sic ueterem poteris depellere morbū
Felq; bouis surdis etiam prodesse loquuntur:
Si iungas olidæ graue quod minxêre capellæ,
Si uerò incautas animal penetrauerit aures
Proderit admixto pauidi fel muris aceto.
At si lympha nocens peruaserit: anseris aptus
Immittetur adeps ceparum non sine succo.
Qui grauis est oculis, sensum tamē aurib. auget.
Vis & Phœbigenæ diuinam discere curam:
Sitq; uel annosis confecta doloribus auris:
Allia tum septem numero, septemq; lupinos
Cretaceā dabis in testam: tum Delphica frondis
Addatur, mixto totum feruescat aceto,
Doctus eris tepidos illinc immittere rores.

SCHOLIA,

¶ *Fraxinea talea.*] Taleam, frustum ligni dicunt, ex utraque parte æquabiliter ferrendi gratia præcisum. Id Græcè generali nomine ξύλον scribunt.

Obscœnos ex uirgine rores.] Lotium puerile intelligit.

¶ *Inculcas aures animal.*] Hoc est, si uerminosæ sint aures.

¶ *is & Phœbigenæ.*] Hoc est Circes, Solis ex Persa filiæ, quam in herbarum cognitione eruditissimã fuisse, Homerus odysseæ 20. libro scribit.

¶ *Punicea testa.*] Id est, putamine mali Punici.

¶ *Delphica frons.*] Lauri folium intelligo.

OCVLORVM DOLORI MITIGANDO. CAP. XIII.

Summa boni est, alacres homini cõtingere uisus
Quos quasi custodes defensoresq́; pericli
Prospiciens summa natura locauit in arce,
Sic tamen ut nullos paterentur desuper ictus
Atq; supercilio pauidi reteguntur opaco,
Sed dolor immeritum lumen si forte lacessit
Lana madens oleo noctu connectitur apte,
Viuentis ue nepæ lumen gestatur amicum,
Ex folio caulis cineres, confractaq́; thura
Et laticem Bacchi fœtæ cum lacte capellæ
Desuper induces, atq; una nocte probabis,
Hyblæi mellis succi cum felle caprino
Subueniunt oculis, dira caligine pressis,
Vetonicæ mansus siccabit lumina succus,
Si tenebras oculis obducit pigra senectus
Expressæ marathro guttæ cum melle liquenti
Detergere malum poterunt, uel uulturis atri
Fella,

Fella, chelidoniæ fuerint quis gramina mixta,
Hæc etiam annosis poterũt succurrere morbis.
Fel quoq; de gallo mollitum simplice lympha
Exacuet puros dempta caligine uisus,
Vina chelidoniæ parili ratione iugantur
Efficiuntq; suo præclaros unguine uisus,
Aspera quinetiam mulcent, & rupta reducunt
Si genus est morbi, miserum quod lumen adurit
Hic calor infuso mitescit lacte canino,
Anguibus ereptos adipes ærugine misce,
Hi poterunt ruptas oculorum iungere partes:
Si uerò horrendũ ducent glaucomata peplum
Spiritus alterius prodest qui grana cumini
Pallentis, mãdens uisus exhalat in ipsos,
Si tumor infestat, rufos & gliscit in orbes,
Turgentes oculos uili circumline cœno.

SCHOLIA,

¶ *Viuentis nepæ.*] Scorpionis.
¶ *Marathro.*] Id est, fœniculo.
¶ *Si genus est morbi.*] Si est suffusio, quam cataractam nominant.
¶ *Glaucomata*] Glaucoma uicium oculorũ est ex humoris crystallini uicio.
¶ *Horrendum peplum.*] Id est, nebulam.
¶ *Cumini pallentis*] Cuminum uel cyminum semen est uulgò notum, quod utentibus pallorem inducit.

AD DENTES LÆSOS, ET oris fœtorem. CAP. XIIII.

Haud facilè est acrem dentis tolerare dolorem,
Quo magis est æquum medicā pernoscere curā:
Cum Baccho uiolas decoxeris, ore teneto.
Mansus item prodest succis oleaster acerbis,
Hinc oscedo fugit, linguæ quoq; uulnera cedūt:
Cum uino piper, & nitrum tepido inde dolenti,
Sæpe chelidoniæ succo, uel lacte capellæ
Sanescunt dentes, aut tauri felle iuuantur,
Aut acidi latices clauso uoluuntur in ore,
Manditur apta rubus gingiuis, & bona labris,
Lentiscus, myrtusq; emendant oris odorem,
Quod uerò assumpsit nomen de dente fricando,
Ceruino ex cornu cinis est, aut ungula porcæ
Torrida: uel cinis ex ouis, sed non sine uino:
Muricis aut tosti, uel bulbi extincta fauilla,
Ambitiosa putas, sunt ista salubria cunctis,
Exosos autem dentes si fortè queraris,
Vre fimum muris, patulis & hiantibus adde,
Vel cinerem dentis ceruini extinguere aceto
Conuenit, atque cauis immittere partibus aptè.
Prodest & puluis lumbrici corpore tosto,
Ora ambusta cibo, sanabis lacte canino:
Sæpe etiam gelida gingiuas collue lympha,
Dentibus ut firmum poßis seruare uigorem,
Si uerò infandum proserpit ad intima uulnus,

Permisceto

Permiſceto ſalem parili cum pondere thuris,
Hinc tractato locum, mirā experiere medelam:
Aut tu ſume pilam, quæ caudis hæret ouinis,
Hæc ſiccata dabit molles, & fracta farinas,
Huius & attritu tetrum mulcebitur ulcus.

SCHOLIA,

¶ *Succis acerbis.*] De oliuis immaturis.

Oſcedo fugit.] Oſcedo quaſi oris extenſio dicitur, à ſuperfluitatibus in muſculis man dibularum & thoracis ueniens, quæ ſi inte gro corpori eueniat pādiculatio uocatur.

Linguæ uulneratæ.] Alcolam intelligit, de qua Galenus tertio Interiorum.

De dente fr.] Hoc dētifriciū nominamus.

Patulis hiantibus.] Id eſt, foraminibus.

VVÆ, FAVCIBVS, COLLO, & quæ mollienda ſunt medendis. CAP. XV.

Ægreſcunt teneræ fauces, quum frigoris atri
Vis ſubijt: uel cum uentis agitabilis aër
Vertitur; atq; ipſas flatus grauis inficit undas,
Vel rabidus clamor fracto cùm forte ſonore
Planum radit iter: ſic eſt Hortenſius olim
Abſumptus: cauſis etenim confectus agendis
Obticuit, quum uox domino uiuente periret,
Et nondum extincti moreretur lingua diſerti.
Ergo omni ſtudio quæres inhibere dolorem
Simplicibus lymphis confunditur aëreum mel,

Additur

Additur excussus niuea similagine furfur,
Decocta hæc clauso simul exercentur in ore,
Præterea fauces extrinsecus ungere prodest
Vrsino, & tauri seuo, cærisq́; remißis,
Omnia quæ geminis æquabis lancibus antè,
Disce etiam mirã ex humili medicamine curam
Attiaco melli iunges agreste papauer,
Decoctumq́; simul mandes, mansumq́; uorabis
Crinitæ porri radices quinq; coquantur,
Hinc aqua non feruens uoluatur fauce sonora,
Hæc tamẽ in stomachũ descendat gutta patentẽ
Si uerò afflictam languor deiecerit uuam.
Tunc horas aliquot pronus recubare memento
Aut illam puluis tosti releuabit aneti
Aut cinis ex cochlea, uel torrida braßica flãmis
Anginam uerò mistum sale poscit acetum,
Quod prodest clauso uersatum agitare palato.

SCHOLIA,

¶ *Sic Hortensius*] Hortensius hic Romæ claruit orator insignis, ac Ciceroni æmulus.

¶ *Aereum mel.*] Aereũ mel, quidam mel per cupiliones, hoc est apes oblongas collectum arbitrantur: sed ego mannam, cuius Mesue recordatur, æreum mel assero: non mannam Drostoridis uel Plinij, quam thuris pollinem nouimus.

¶ *Exercentur in ore.*] Id collutio fiat.

¶ *Cerisq́;*

¶ *Cerisq; remißis.*] Liquefactis.

¶ *Attiaco melli.*] Attica regio propter mellis præstantiam à Plinio commendatur lib. 21 cap. 10.

¶ *Fauce sonora.*] Gargarizetur.

¶ *Deiecerit uuam.*] Vuam seu uuulam Hippocrates gurgulionem uocat libro 3. Prog. aphor. 22. uuula das zepfflin.

¶ *Anguinam uero mistam.*] συνάγχη fauciũ morbus est ac tumor, cuius species quatuor Hippocrates facit. 3. Prog. 17. Celsus uerò tres solummodo.

DE RIGORE CERVICIS. CAP. XVI.

At si ceruices, durataq; colla rigebunt,
Mira loquar, geminus mulcebitur unguine po- [ples
Hinc longos pariter neruos medicina sequetur
Anseris aut pingui torpentia colla fouebis,
Illinitur ualido multum lens cocta in aceto
Aut capræ fimus & bulbi, aut ceruina medulla,
Hoc etiam immotos flectes medicamine neruos
Quos autem uocitant colles, attingere dextra
Debebis, qua gryllus erat pressante peremptus.

SCHOLIA,

¶ *Gryllus peremptus.*] Gryllus uermiculis cõnumeratur, qui retrò ambulant & terram terebrant.

DE CHOLERA ET TVSSI. CAP. XVII.

Noxia si penitus cholerum sæuire uenena
Perspicias, cocta lactucæ fronde leuabis,
Proderit & caules assumere sæpe madentes;
Interdum fauces tußi quatiuntur atroci,
Allia tum sumes decocta & melle peruncta
Semina uel raphani permixta dulcia melle,
Aut si fraxinea semen de fronde reuellis
Interiora uora, uetitus contingere dente,
Ouum melle teres, domitum feruentibus undis;
Marrubiū ue potens, hæc faucib. optima sumes
Frenabisq; gtauem facili medicamine tußim.

SCHOLIA,

¶ *Cholerum.*] χολερῶν, genitiuus est pluralis à χόλερα.

Domitum undis.] Coctum.

Marrubium.] Prassium, Andorn.

DIGESTIONI ET STOMACHO MEDENDO. CAP. XVIII.

Qui stomachum regem totius corporis esse
Contendunt. uera niti ratione uidentur,
Huius enim ualidus firmat tenor omnia mēbra,
At contra eiusdem franguntur cuncta dolore:
Quin etiam, nisi cura iuuat, uiciare cerebrum
Fertur, & integros illinc auertere sensus,
Lactucæ semen nigræ quod lignea pila

Triuerit

Triuerit, admixto ieiunus sumito melle:
Sed cochlear trimo gustu tibi sufficit unum,
Aut tritum semen raphani, mulsumq́; iuuabit,
Siue duæ partes absynthi & tertia rutæ,
Decoctis potantur aquis, siliquæq́; madentes,
Semina uel maratri fœtæ cum lacte capellæ,
Pulegium quoquè decoctum curabit amicè
Et potu & fotu stomacho conducit anetum,
Seu cochleas undis calefactas, ac prope iunctas
Suppositis torre prunis, uinoq́; garoq́;
Perfusas cape, sed prodest magis esse marinas:
At malè digestis, si crapula sæuiet escis,
Ex pipere & calida florem de rore marino
Ebibe, seu salibus piper adde, & tenue cuminũ,
Quæ coctis epulis tinges, & rapta uorabis,
Aut cubitum pergens succum cape tristis aneti,
Ventriculus mergi raptus, sal tritus & ustus
Pane super tosto, piperis quoq; puluere multò
Miscentur, capies diuinum munus in istis,
Proderit hoc stomacho, dictas et cõcoquet escas
Grana peregrini piperis diffundito quinque
Niliaco melli, quæ mane inserta capesses.

SCHOLIA,

¶ *Viciare cerebrum.*] Stomachus cerebrum lædit per consensum.

Lactucæ nigræ.] Satiuum intelligit.

Lignea pila.] Ligneus pistillns.

Prope

¶ *Prope uictas.*] Coctas.
¶ *Vincq; garoq;.*] Garum liquoris exquisiti genus est, ex piscium maceratis intestinis confectum Plinius lib. 31. cap 7. Diosco. lib. 2. cap 31.
¶ *Tristis anethi.*] Tristis propter odorem dixit.
¶ *Niliaco melli.*] Ex harundinibus collecto.

FELLI, VOMITVI ET PHTHISI ARCENDIS. CAP. XIX.

Lutea si crescunt præ cunctis noxia fella,
Allia parua nouem, piperis tot permole grana
Quæ cyatho diluta gari mandesq; bibesq;,
Hæc iterum septena capis, post deniq; quina,
Præterea caules frondet, si parua sabucus
Decocto sale permisces, ac iungis oliuo,
Tunc capis, ac tali auxilio fella horrida purgas
Prosunt & pelagi latices, quos pondere iusto
Dulcibus associas lymphis, melliq; liquenti,
Et niueus prodest ex ubere succus asellæ
Si tepido uino infundas, ac mella piperq;
At uomitum radix narcißi pota mouebit,
Si uerò phthisis annosa sedet improba morbo
Intritas uino cochleas hausisse iuuabit,
Proderit & ueteris seui pila sumpta suilli,
Carne asinæ seuoq; capræ medicina salubris.

SCO-

SCHOLIA,

¶ *Radix narcißi.*] Narcissus, bulbus est uomitiuus sine tunicis amarus, flore albo in medio croceo. Serapion aggreg. cap. 188. Dioscor. lib. 4. cap. 55.

¶ *Annosa phthisi.*] Phthisis, consumptio est membrorum, spiritus, ac solidorum. Latini tabem uocant.

MAMMIS SANANDIS. CAPVT XX.

Vbera fœcundo multum lactantia succo
Sæpe sibi noxæ nimium manando fuerunt:
Fece igitur ualida duri reprimuntur aceti,
Post partum tumidas iniustè assurgere mām as
Interdum aspicies, harum mala commemoratur
Murinus fimus ex pluuio sedare liquore:
Sin autem clausas penitus dolor angit acerbus,
Lumbricis terræ turgentes unge corymbos,
Sin castigatas studium est præstare papillas,
Ex hederæ sertis ambas redimire memento,
Protinus & raptas fumis mandare coronas,
Anseris aut seuum pariter cum lacte tepente,
Aut ouum illinito tulerit quod garrula perdix,
Præterea pluuio decocta papauera rore
Hærebunt multis post dissoluenda diebus,
Vis & Phœbigenæ cœlestia sumere dona,
Vbera cum tetris laniata doloribus horrent,
Nauis ramētū, & quæ nomine praßiō herba est

Et quæ uulgari sermone insana uocatur,
Græcus hyosciamon propria scit dicere lingua,
Necnon & calami radix, lephatiq; legumen
Mista dabunt miras, experto crede, medelas.

SCHOLIA.

¶ [*Marinus fimus.*] Maris spuma quam alcionium uocant, de qua Gale. libro 11. simp. 28. & Serapio aggreg. cap. 388. Plin. lib. 32. cap. 5.

[*Corymbus.*] Id est, hederæ baccas.

[*Vis & Phœbigenæ.*] Vel Circem intelligit, uel Æsculapium Phœbi filium.

[*Nauis ramentum.*] Male nauis scriptum suspicor.

[*Insana uocatur.*] Ab affectu, quod comesta insaniam pariat, maximè porcis, qui cancrorum esu sibi medētur, Bilsen krut / uel Schwin bon.

[*Calami radix.*] Calami, aromatici.

[*Laphatiq; legu.*] Laphati quod quidam rumicem uocant, Plin. teste lib. 20. cap. 21.

REIECTIONI CIBI AVT SANGVINIS RESTRINGENDÆ. CAP. XXI.

Si stomachus nondum decoctas expuit escas
Sed magis atq; magis uiciū reuomendo ualescit
Allia cedemus, crebrumq; trahemus odorem:
Sin etiam rutilus fertur de pectore sanguis,

Sorbitio

Sorbitio mentæ, rhaphanus uel cocta iuuabit,
Sæpe lapis teritur, specularem nomine dicunt
Et mistis hauritur aquis, sistitq; cruorem,
Vritur interdum raptus de subere cortex
Et cinis ex calido prodest epota Lyæo.
Ouorum pellis cochlearum, aut deniq; mellis
Aut mansus saluum fructus prodesse putatur
Aut platani pillulas acri infundemus aceto,
Nullus erit sanguis, quē non cibus iste moretur:

SCHOLIA,

¶ *Specularem nomine.*]Specularem, pro ocularem dixit. Et est lapis in quo sicci oculorum fricantur, qui inde nomen ocularis lapis tenet, aliter cos uel cost appellatur: de hoc Panegyrim scripsimus, quam Marbodei dactilothecæ, nostris scholijs illustratæ, adiecimus.

Cinis epota.] Vt carmen stare posit, cinis fœmininum fecit.

Platani pillulas.]Baccas.

IECORIS ET LATERIS VICIIS MEDENDIS. CAP. XXII.

Si molles iecoris fibras dolor hauriet acer [est
Protinus ex mulsa potanda elelisphacus herba
Sumitur & semen quod fraxinus alta profudit
Vulturis atq; iecur uel ius perdicis apricæ,
Præterea simili drachma pix dura piperq;
Franguntur, sic in mollito puluere iuncta

Egelidis miſcentur aquis, recreantq́; bibentem,
Abſynthi quoque decocti potabitur humor,
Si latus immeritum morbo tentatur acuto,
Accenſum extingues lapidem ſtridētibus undis,
Hinc bibis, aut aceris radicem tundis, & unà
Cū uino capis, hoc præſens medicamē habetur.
Quid referam multis compoſta philonia rebus?
Quid loquar antidotū uarijs? quis iſta requirit?
At nos pauperibus præcepta feramus amica,
Necnon & iecoris quæretur fibra lupini,
Iungenturq́; ſimul coſtum, foliumq́; piperq́;,
Quæ diluta mero dantur putanda Lyæo:
Eſt & uis morbi, quod telum commemoratur,
Quum ſubitò dolor inſanus furit incitus ictu:
Perſicon huic potum è nuce dabit interiore,
Quæ mihi cura ſatis caſu mōſtrāte probata eſt.

SCHOLIA.

¶ *Eleliſphacus.*] Eleliſphacus Latinis ſaluia eſt.
¶ *Simili drachma.*] Æquali pondere.
¶ *Aceris radicem.*] Ahorn. De hac arbore Plinius libro 16. capite 16.
¶ *Compoſta philonia.*] Philonia inquit ſecundo numero: quoniam multa ſunt apud Meſue & Nicolaum philonia.
¶ *Compoſta.*] Ex uarijs compacta.
¶ *Foliumq́;.*] Folium Indi intelligit.
¶ *E nuce interiore.*] Hoc eſt, ex grano.

Spleni cu-

SPLENI CVRANDO.
CAP. XXIII.

Quando lien tumido circumligat ilia nimbo,
Et plenũ ſplenis demonſtrant membra rigorem
Mollibus ex hedera tornantur pocula lignis,
Hinc trahet aſſuetos æger quoſcunq; liquores,
Aut uiridis coctorum holerum potabitur unda.
Proderit exucto fluuialis hirudo cruore,
Siue myrica potens, ſeu ros cum pane marinus,
Aut hederæ ſuccus potu appoſituq; iuuabit,
Necnon intactam ferro quam uideris alnum,
Huic liber eripitur, ferro ſine, decoquiturq;,
Donec uictarum pars tertia ſubſit aquarum:
Hinc medico potu pulſus dolor omnis abibit,
Nonnulli memorant conſumi poſſe lienem,
Eruum ſi ſemper ieiuno ſumpſerit ore;
Arida ficus item feruente domatur aceto,
Et trita illinitur: uel ſplen apponitur hœdi.
Marrubium in uino potum prodeſſe loquuntur.
Præterea piper, ac nepete cum flore, & anetum
Capparis atque apium, bugloſſaq; iũgitur unà,
Pulegium, abrotanũ, nitida cum maſtice coctũ,
Ac thymbræ ſpeciẽ, quã cõmemorãt cephalotẽ,
Prædixit ſpleni Deus poſſe idem uideri:
Dulcia Plautus ait, grandi minus apta lieni,
Splẽ tumidus nocet, et riſum tamẽ addit ineptũ
Vt mihi Sardois uideatur proximus herbis,

Irrita quæ miseris permiscent gaudia fatis,
Dicitur exectus faciles auferre cachinnos
Perpetuoq; æuo frontem præstare serenam.

SCHOLIA,

¶ *Myrica petens.*] Id est genestra.
Appositúq;.] Epithematis uice.
Videris alnum.] Alnus, populus est,
Hinc liber.] Cortex.
Victarum aquarum.] Incoctarum.
Thymbræ speciem.] Speciẽ satureiæ, de qua Plinius libro decimonono, capite octauo, & libro uigesimo, capite uigesimo.

PRÆCORDIORVM CVRA. CAP. XXIIII.

Languida si duro turgent præcordia morbo,
Miscetur mulsæ farris sextarius unus
Necnon & lini tusum, siliquæq; legumen,
Hæc decocta simul nondum tepentia nectis
Aut quæ poma cydon Cretæis misit ab oris
Cocta lines, durum ut poßis mollire tumorem,
Ozima præterea, bulbi ue linuntur amari:
Proderit & lymphis corpus mersare marinis
Quin etiã catulum lactantẽ apponere membris
Cõuenit, omne malũ transcurrere fertur in illũ
Cui tamen extincto munus debetur humandi,
Humanos quoq; cõtactus mala tanta sequũtur,
Et iunctus uicium ducit de coniuge coniunx,

Quod

Quod superest styraci iunges ramenta carinæ
Quodq́; decẽ ex rebus decatorthyma rite uocã
Masticis addentur fractæ tam milia farra [*tur*
Talibus auxilijs præcordia tuta resident.

SCHOLIA,

¶ *Miscetur mulsæ.*]Hydromeli.
¶ *Sextarius unus.*] Sextarius sibi non constat, quoniam uini sextarius duas libras facit cũ dimidia, sextarius mellis libras tres, olei saltem duas.
¶ *Lini tusum*]Tusum seminis lini.
¶ *Siliquæq́; legumen.*] Siliquam Plinius uaginam omnium esse leguminum scribit. Sed hic siliquæ legumen, xylocaractæ granum significat: cuius Galenus lib.7. Simp. cap.19. meminit.
¶ *Nondum tepentia.*]Id est, tepido calidiora.
¶ *Poma quæ cydon.*]Mala cydonia.
Ozima præterea.] Ozimon herba est quã basilicon uocant, ab odore ozimon.
¶ *Iunges carinæ.*]Id est, thoraci, quẽ sæpius corporis uocamus carinam.
¶ *Ramenta.*]Id est, tunsiones.
¶ *Thridaci.*]Thridax lactucæ genus est, cuius Ægineta septimo libro mentionem facit, & Plin. libro 20. capite septimo.

LVMBIS ET RENIBVS SANANDIS. CAP. XXV.

Quum sæuit penitus hærens iniuria lumbis
Igne lapis condens datur exultantibus undis,
Hoc poteris potu tristem superare dolorem,
Aut pice cum melli nitrum sulphurq; & acetum
Succida lana rapit contacta calentibus ijsdem,
Proderit hanc ægris crebrò perducere mēbris,
Aut caput asparagi cum uino sume uetusto,
Seu mauis appone, modus conducit uterque,
Aut adipi mixtum lumbis inducito sulphur,
Sæpe chelidoniam cum succo Palladis addes,
Farraq́;, quæ tremulis prosunt sudātia flammis:
Fertur amygdalinæ succus nucis esse bibendus
Pinsitur ac tepidis sorbebitur addita lymphis
Aut tres ex uino cochleas ferueſcere coges,
Cūq; suis domibus franges, piperis quoq; grana
Ter quinque adijcies, potuq; iuuaberis illo:
Furfur item parua fuerit cùm feruidus unda.
Pòst oleo madidus, succis immittitur aptis,
Quæ uix paßiuis urentes addito membris:
Prodest ceruinæ medicans natura medullæ:
Nec nocuit ciceris cocti potasse liquorem,
Aut mixtam tenens maluam contundito porris
Cōtritumq; simul cum mastiche confer anetum,
Quodq; decē rebus cōponi ex nomine clarū est
His cōtinge locū, deus hæc mihi certa probauit

Scholia.

SCHOLIA,

¶ *Succida lana.*] Impurgata.

¶ *Aut caput asparagi.*] Caput asparagi Galenus in libro de Alimẽtis, summitatem seu cacumẽ asparagi interpretatur Est autem asparagus, herba quam officinæ extrita priore litera sparagum nominant, Germani Spargen.

¶ *Cum succo Palladis.*] Id est, oleo. Pallas enim nomen imposuit Athenis contra Neptuni uotum, quæ postmodum oleas, quarum ibidem fertilis est terra, in tutela fouit, & oleum pro suo liquore habuit.

¶ *Succus amygd. nucis.*] Oleum amygdalinũ.

AD VENTRIS DOLOREM. CAP. XXVI.

Si dolor insanus tota desæuit in aluo,
Heminis tribus in lympha tu decoque tritum
In uino prius hyssopum ualidam quoq; rutam
Aut apium, donec pars duplex desit aquarum:
Potus erit medicus non detrectante palato,
Præterea niuei sterilis testa uritur oui,
Quæ postquã in tetram fuerit conuersa farinã
Ex calidis potatur aquis, & pota medetur,
Ncnon iungenda est utero noua uirga myricæ
Illæsa hæc ferro terraq; intacta teratur,
Aut medio uentris prodest aspergere terram,
Quam signauerunt uestigia pressa rotarum:

Proderit & puluis facili sub cardine raptus,
Quin etiam ex limphis tritum potare cuminũ
Cõueniet,quod iam nobis documẽta probarũt,
Menta quoquè hoc pacto medicos dabit hau-
sta sapores,
Cœliacos autem recreabis pane salubri
Quem madido farre efficies ac mollibus ouis
Quorum testa fero prius mollescere aceto
Refert, & teretes bulbos mollire terendo,
Cumq; his Lenæi durum potare fluentum.

SCHOLIA,

¶ *Heminis tribus.*]Hemina,Romana uox est, ex græco quidem ἥμιον, quòd dimidia pars sextarij sit deriuata, Græcis κοτύλη nominatur.

In tetram farinam.]In nigrum puluerem.

Noua uirga myricæ.] Myricem quam & tamaricen uocant,& prius genestram diximus. Plinius quoq; uentris dolores sedare asserit,si hoc modo de hac surculos decerpseris,ut neque terram neq; ferrum tetigerit,libro 14.cap.9.

Cœliacos autem.]κοιλιακοὶ uocantur, qui aluum induratam habent, quæ nihil reddit, ac ne spiritum quidem transmittit.

Cumq; his Lenæi.]Lenæus,Bacchus dicitur,à lenos, quod est torcular.

HYDROPISIS CVRA CAP. XXVII.

Corrupti iecoris uicio uel ſplenis aceruo
Creſcit hydrops, aut cum ſiccatæ febre medullæ
Atq; auidæ fauces gelidum traxêre liquorem,
Tum lympha interius uicio gliſcente tumeſcit
Secernens miſeram proprio de uiſcere pellem,
Conueniet teneræ radix decocta ſabuci
In geminis calidi cyathis potanda Lyæi
Necnon & tepidis conuoluere corpus harenis
Hellebore quoq; purgatur lymphaticus error
Sæpe ſed adiuncto pelluntur noxia Baccho,
Eſt qui præualidum nitro ſale miſcet acetum
Atq; olei ſucco refricans albentia membra,
Fraxineum ſemen cum Bacchi rore bibendũ eſt
Necnon appoſito curantur dropace membra
Aut calido ſalicis radicem mollit Iacho
Vnguine quo frangit uires languoris aquoſi.

SCHOLIA,

¶ *Geminis cyathis.*] ἀπὸ τὸν χύειν, Id eſt, à fundendo dictus, duodecima pars eſt ſextarij, de quo etiam in præcedentibus eſt dictũ.

Lymphaticus error.] Id eſt, humor ſubcutaneus.

Dropace membra.] Dropax & dropodiſmus, ruptorium eſt, ſeu ueſicatorium, qua ſubcutaneæ aliquando extrahuntur humiditates, potiſsimùm ſi alia non contulerint

tulerint medicamenta, ficut in meo Compendio medicinæ clarè oſtenditur.

VENTRI MOLLIENDO, CAP. XXVIII.

Sæpe cibi ſpecie, uicio uel corporis ipſo
Potibus aut duris reſtricta morabitur aluus,
Vincetur talis mora gramine Mercuriali,
Cuius aquam cocti minimo cum melle bibemus.
Prunaq; conueniunt quæ mittit clara damaſcus,
Multos præterea medici componere ſuccos
Aſſuerunt, precioſa tamen quum ueneris emptũ
Falleris, fruſtraq; immenſa numiſmata fundes,
Quin age & in tenui certam cognoſce ſalutem
Aut igitur tectum lana ſupponis alumen,
Aut edis in patinis teneræ decocta ſabuci,
Vel cum lacte capræ ſalſum mulſumq; capeſſes,
Crede tamen potum meliorem lactis equini,
Dicitur & ualidos aſinæ peruincere ſuccos,
Syluestris fici lachrymam prodeſſe loquuntur,
Quodq; ſatis melius uerbis dicemus Horati:
Mugilis, & uiles pollent obſtantia conchæ,
Sed cochleas prius eſt urtica aut furfure paſci
Purior hinc guſtus noxa ſine mouerit aluum.
Sæpe Thalaſſomeli uinctũ cumulabimus imbri,
Hæc purgant, parili fuerint ſi pondere mixta.

Scholia.

SCHOLIA,

¶ *Cibi specie.*] Id est, qualitate.

¶ *Mercuriali.*] Mercurialis, Bingel krut. Mercurij inuentum.

¶ *Mittit Damascus.*] Pruna Damascena.

¶ *Supponis alumen.*] Ex tecto alumine bombace, feceris βάλανον, id est, suppositorium.

¶ *Teneræ sabuci.*] Id est, sambuci extrema.

¶ *Asinæ succos.*] Id est, lac asininum, quod inter omnia lactis genera, primas habere narrant.

¶ *Thalassomeli.*] Thalassomelon uinum, præcox uinum est, & uetustius. Plinius libro 14. capite octauo.

AD ALVVM NIMIVM LVBRICAM. CAPITE XXIX.

Tam uarij casus mortalia secla fatigant,
Vt sint diuersis obnoxia corpora morbis,
Sæpe etenim nimio cursu fluit impetus alui,
Fremat commixto quum feruet braßica uino,
Aut cerasi uictum longo iam tempore pomum
Succus amineæ uitis cum pane medetur,
Mel bene permixtum calido potatur acetum,
Vile quidem facili facto, tamen utile opinor.
Si lædunt medica data purgatoria dextra,
Adiecto piperis medicatur puluere calda,
Sin autem longo decurrent intima fluxu,

Atque

Atq; immane malum multo iam tempore gliscit
Torridus ex uino cortex potabitur oui,
Ramentum niuei credunt prodesse elephanti,
Arbore pyramea cortex direpta coquetur,
Axe sub æthereo sic nigro mista Lyæo
Immensum poterit potu retinere fluorem,
Numinis aut iussu cedrum cum mastice misces
Mollitamq; picē, & rasum de nauibus unguen
Languida quo fidēs medicamine mēbra fouebis
Proderit & pueris quos dentis origo fatigat
Castaneas coxisse nuces & sorba uetusta
Atq; apium caulesq; rubus quos fundit acuta
Potio quæ fluidam consumpta morabitur aluū.

SCHOLIA,

¶ *Victum pomū tempore.*] Cerasum torrefactū.
Succus amineæ uitis.] Id est, uinum omphacinum, quod est uinum de uuis immaturis, quæ ante canis ortum colliguntur: uide Plin. lib. 12. cap. 27.
Ramentum Elephanti.] Rasuram eboris.
Pyramea arbore.] Id est, de moro, sub qua Pyramus Thysben à læna dilaceratam credens, gladio se perfodit. uide Ouid. 4. lib. Transformationum.
Axe sub æthereo.] Insoletur.
¶ *De nauibus unguen.*] Sordem.

DE LVMBRICIS ET TINEIS, CAP. XXX.

Quid non aduersum miseris mortalibus addit
Natura? interno cùm uiscere tinea serpens
Et lumbricus edax uiuant inimica creentq́;
Quod genus aßiduo laniat præcordia morsu,
Sæpe etiam scandens oppletis faucibus hæret
Obsessasq́; uias uitæ concludit anhelæ,
Ergo cinis cornu ceruini proderit haustus
Vel nepetæ tritum, ex uino cum lacte capellæ
Necnon & succus medici potatus aceti,
Prodest præterea cum Baccho persica frondis
Democritus memorat mente conducere potū,
Sumitur abrotanum, necnon & uile melanthū
Allia per sese sanant, aut ius coriandri,
Quin & marrubiū decoctū haustumq́; iuuabit
Pulegium potens, & agreste iugatur anetum,
Synthesis hæc prodest unda mollita calenti.

SCHOLIA,

¶ *Medici aceti.*] Cuius usus medicis est frequens.

Vile Melanthum.] Melanthum, git est, Schwartzer koriander, hoc quidam melanthion nominant, lege Plin. uigesimo libro, cap. 17.

Synthesis hæc.] Id est, hæc combinatio. Nā synthesim conglutinationem significare apud Siluaticum inuenio.

COLO

COLO SEDANDO.
CAP. XXXI.

Quũ colon inuisum morbi genus intima carpit
Mande galeritam uolucrẽ quam nomine dicunt
Aut pauidi leporis madefacta coagula pota,
Siue apio nepetas tereti cum mastiche iunges
Necnon & species ambas redolentis aneti,
Quarum decoctos patiens haurito liquores.

SCHOLIA,

¶ *Quum colon.*] Colon Tiberij Cæsaris principatu irrepsisse Plinius scribit, morbum quippe quem intestinis inferioribus maximè, & crassioribus, ut colo, monocolo, uel cæco, aut recto seu longo nos adscribimus, Plinius libro 26. cap. 1.

DE VESICA, CALCVLO ET VRINA PROVOCANDA.
CAP. XXXII.

Si cui uesicæ tardus cunctabitur humor,
Hæc mora rumpetur uino peruicta uetusto
Prodest ex paruis acinos potare sabucis
Aut hederæ succum, aut lacrymosi trita sinapi,
Necnon resinas ex oricia terebintho
In speciem eruiliæ paruos glomerabis in orbes
Quos ternos tepida mixtos hausisse medela est,
Quondam etiam nimio præceps urina fluento
Irrigat exuuias, obscœnoq; inficit imbri.

Ergo

Ergo cinis prodeſt, hauſto nepetæ quoq; ſucco
Ex uino muris tritus, uel lacte capellæ
Tum leporis cerebrū ex uino potare iuuabit:
Si dolor internam ueſicæ concoquit aluum
Subueniet radix frondoſæ epota cypreßi
Pulegium ue potēs, domitū feruentibus undis:
Si uerò in lapides denſus conuertitur humor
Qui retinet curſus, gemitūq; dolore frequentat
Saxifragam ſeu fontigenam ſuccurrere credūt
Præterea ſemen myrthi ſilueſtris Iaccho
Atq; oleo miſtum bibitur, nec deſit acetum
Vinaq; ſumantur fricto condita cumino
Siue palumborum capitur fimus aëriorum
Dulcacidis ſparſum ſuccis trituq; ſolutum,
Necnon obſcœnus capræ potabitur humor,
Obruit hic morbum, labefactaq; ſaxa remittit.

SCHOLIA.

¶ *Lachrymoſi ſinapis.*] Ab effectu lachrymoſi dixit.

Glomerabis in orbes.] Id eſt, ſphærulas ſeu pillulas.

Concoquit.] Dilancinat.

Fontigenam.] Per fontigenam, ſcolopendrium intellexiſſe Serenum arbitror, herbam aperitiuam & diureticam.

Dulcacidis.] Ficticium eſt uocabulum ex dulci & acido.

Oricio terebintho.] Oricū, urbs eſt in Epi-

ro, ubi terebinthus arbor nascitur.

DE CONCEPTIONE ET PARTV. CAP. XXII.

Irrita coniugij sterilis si munera languent
Et sobolis spes est multos iam uana per annos
Fœmineo fiat uicio res necne silebo,
Hoc poterit quartus magni monstrare Lucreti
Sed natura tamen medicamine uicta potenti
Sæpe dedit fœtus studio curante paratos
Aut igitur leporis consumit fœmina uuluam
Aut ouis in stabulis fractas cũ ruminat herbas
Pendentem spumam molli deducit ab ore
Atq; illam memini misto potare falerno,
Mercurialis item capitur communiter herba
Sic cubitum noctu coniunx festinet uterq;,
Atq; ubi iam certum spondet prægnatio fœtũ
Vt facili uigeat seruata puerpera partu
Dictamum bibitur, cochleæ manduntur edules
Aut qui olim mẽses minus octo moratur in aluo
Irrumpit thalamos & nexus soluit inertes
Pulegij quoq; purgari tunc conuenit imbre,
Cuius opem ueram casus mihi sæpe probarunt
Quinetiam stercus supponunt uulturis atri
Sentiat ut minimè partus quã proximus urget
Oua etiam rutæ & fragili miscentur anetho
Quæ diluta simul uino atq; exhausta medẽtur.

SCHO-

SCHOLIA,

¶ *Hoc poterit quartus.*] Poterit hoc ostendere Lucretius quarto libro de rerũ natura.

Fœmina uuluam.] Id est, coagulum leporis

Falerno.] Optimo uino.

Dictamum bibitur.] De dictamo Serapio libro aggreg. cap. Sandenig.

Soluit inertes.] Nam octimestris partus rarò superstes manet. Rationem præscripsi in primo meorum Conuiuiorum libro.

DE SANGVINIS FLVORE, ET QVOMODO MATRICI SVBVENIENDVM. CAP. XXXIIII.

Si modicus pleno manat de corpore sanguis
Subuenit, at nimium cum uita funditur ipse,
Quapropter multo naris completa cruore
Cùm fluit, attritus cimex conducit odore
Lana oleo madefit, sed nondum lauta rosato,
Hæc datur in nares, uel claudit densius aures
Contritis prodest cochleis perducere frontem
Aut galli cerebro, uel sanguine tinge columbæ
Quòd si supprimitur sanguis, potãdus & ipse [est,
Præterea pharijs caput emetire papyris
Detrahe quod superest, aliò genitalia necte
Fœmineas prodest illinc uincire mammillas
Menstruus immensus si quæsiuit impete sanguis
Succida lana malos remoratur subdita cursus

Mortua quinetiam producit corpora partū,
Sed quacunq; fluit uis immoderata cruoris
Subereus cortex calidis potatur in undis
Ante minutatim studio uincente terendus,
Pulegij calido purgatur fœmina potu:
Sed si forte cruor clausa cunctabitur aluo
Aut molles nepetæ aut rutæ quæcunq; bibentur
Aut si puniceos fundit uesica liquores
Marrubium ex passo tritum perfunditur undis
Hi poterunt haustus rutilum purgare liquorē
Reliquias partus dictami detrahit herba,
Quod si fœminei properabit sanguinis imber
Est qui frusta molæ percussu decutit uno,
Quorū aliquot lanis tectū ad præcordia nectit
Hæc simul incantans sisti debere cruorem
Vt lapis ille uiæ solitos iam destitit orbes.

SCHOLIA,

¶ *Attritus cimex.*] Cimex pediculus est fœtidus: uulgò Ein wand lusz.
Lana non lauta.] Lana succida.
Genitalia necte.] Testes.
Subereus cortex.] Cortex de subere.
Ex passo.] Vino cocto.
Reliquias partus.] Si quid cruoris remanserit post partum.
Frusta molæ.] Mola (Auicenna teste) mandosa seu falsa est impregnatio, quam Aristoteles

ſtoteles penultimo de Generat. animal. malaginem nominat.

¶ *Nectit tecta ad præcord.*] Ad thoracem.

INTERSECANDIS QVÆ OCVLOS IMPEDIVNT. CAP. XXXV.

Mobilis hirſutas horret laſciuia ſetas
Et gaudet rapto nudari rore pilorum
Sed bona nonnunquam uellendi cauſa uidetur
Corpora cùm releuat ratio manifeſta ſalutis,
Nanq; oculos infeſta pilorum tela laceſſunt,
Quodq́; illis dederat uallum natura tuendis
Inde inimica ſeges ualidos deſæuit in orbes,
Ergo locum crinis uulſi continge cruore
Quem dat auis tremulis ſimulat quæ pellib. alas
Præterea quaſcunq; uoles auertere ſetas
Atq; in perpetuum rediuiua obcludere tela
Corporibus uulſis ſaniem perducito ranæ,
Sed quæ parua ſitu eſt, et rauco garrula queſtu
Necnon & ſtagnis ceſſantibus exul hirudo
Sumitur, & uiuens Samia torretur in olla,
Hæc acidis ungit permiſta liquoribus artus
Auulſamq́; uetat rurſus percreſcere ſyluam.

SCHOLIA,

¶ *Mobilis laſciuia.*] Delicata.
Rapto rore.] Ablato.
Inimica ſeges.] Pilorum.

Simulat quæ pellibus alas.] Vespertilionem intelligit quæ alas habet pelliceas.

Obcludere.] Ne iterum crescant.

Ranæ quæ parua situ.] Ranam minutulam innuit, quam Germani Laub fröschen uocant.

In Samia aula.] In fictili olla, Plinius habet plumbea.

Hæc acidis permista liquo.] Id est, uino nigro, uel ut quidam aceto habent, lege Plinium libro 32. cap. 7.

OBSCŒNIS MEDENDIS. CAP. XXXVI.

Dicendū et quæ sit membris medicina pudēdis
Languidus antiquo purgatur penis Iacho,
Ac super illinitur fœcundæ felle capellæ
Manę nouo myrti frondes cōmandere prodest
Cui dolet, atq; illas in uulnus despuat ipsum,
Fęce etiam uini genitalia lauta leuantur
Et tumidos testes Nereia lympha cohercet
Vel bulbi ex mulso uel cera immista cupreßi,
Aut faba cum tepidis Bacchi decocta fluentis
Ramicis immensum fertur cohibere tumorem
Far madidum lympha & ferali fronde cupreßi
Vnde etiam potu frons hæc memoratur amica
Sin autem existit durum tibi glandibus inguen
Proderit induci cochleas cum melle minutas,

Obscœ-

Obscœnos si pone locos noua uulnera carpant
Horrentum mansa curantur fronde ruborum,
Et si iam ueteri succedit fistula morbo,
Mustelæ cinere immisso purgabitur ulcus
Sanguine cum ricini, quem bos gestauerit antè
Herba chelidoniæ fertur cum melle mederi
Herbaq; cum seuo folijs de mille uocata.

SCHOLIA,

¶ *Genitalia lauta*] Pro lota.

Nereia lympha.] A Nero deo marino.

Ramicis tumorem.] Ramex, hernia est aut durities instar scirrhi, in carnosis maximè locis proueniens.

Ferali.] Funesti, quòd potissimum exequijs mortuorum hæc arbor præsens fuerit.

Glandibus.] Id est, scrophulis.

Si pone locos.] Si prope.

Fistula.] Fistulæ, ulcera profunda sunt & oblonga, ab instrumenti similitudine dicta.

Sanguine uel ricini,] Ricinum, uermis genus esse nouimus alati, ab Aristotele κυνοῤῥαιστὴν dictum. Sed hoc loco Serenum hîc nostrum, animal intellexisse arbitror, quòd semper infixo capite cuti sanguine uiuit, atque ex omnibus animalibus exitum non habet, & usque adeò

ſatietate intumeſcit, ut alimẽto rumpatur denuò, Acar philoſophus nominat. Bobus & uaccis maximè inhæret: uulgò ein Zeck.

¶ *Folijs de mille.*] Id eſt, mille folio.

DE ISCHIA ET ARTICVLARI MORBO. CAP. XXXVII.

Sæpius occultus uicta coxendice morbus
Perfurit & greſſus diro languore moratur,
Populus alba dabit medicos de cortice potus
Necnon & teneræ gracili de fronde geniſtæ,
Arreptos caules, acidoq; liquore madentes
Sumere conueniet, rubiam quoq; ducere potũ
Aut in amineo cocleas haurire lyæo,
Si uerò articulos tãbes inimica per omnes
Hæſerit, & ficu, betas ac melle ligabis
Vel pelagi latices, ſimul & Baccheia dona
Sumere curabis, nimio ſed parcito uino:
Ennius ipſe pater dum pocla ſiccat iniqua,
Hoc uicio tales fertur meruiſſe dolores.

SCHOLIA,

¶ *Victa coxendice.*] Victa coxa, Plinius coxendicem ſciathicam nominat: & eſt morbus uel in uertebris reſidẽs, uel ipſa coxa, Græcis ἰσχίας uominatur.

De fronde geniſtæ.] Ginſter/oder pfriem krut.

Rubiam

¶ *Rubiam quoq;.*] Rubeam tinctorum.

Aut in amineo.] Amineas uites optimum uinum profundere Columella ſcribit, & Momentanio melius, de Re ruſt.

Ennius ipſe pater.] Hunc uerſum alibi quoquè ſcriptum ſuſpicor.

Meruiſſe dolores.] Tametſi parciſsimo ſumptu Q. Ennium uixiſſe conſtet, articulari tamen morbo hũc Cicero periſſe ſcribit: & Romæ, in Appia uia, in Scipionis prioris monumento ſepultum.

FVRVNCVLO MEDENDO. CAP. XXXVIII.

Cùm ſanguis nimius puri commiſtus atroci
Æſtuat, & papulas altè ſuſtollit acutas,
Reſinam miſces & ſaxis ordea fracta
Conſperſa hæc tepidis apponere cõuenit undis
Vis & hyoſciamum ceræ ſeuoq; iugatum
Nectere, nõ minus hæc poterit medicina iuuare
Præterea fimum ex gallo (quod legeris) albo
Imbribus ex acidis fidens appone dolenti,
Auribus aut pecudum molles expromito ſedes
Vnguine quo fotis dabitur medicina papillis.

SCHOLIA,

¶ *Papulas acutas.* Eſt enim furunculus, tuberculum acutum cum inflammatione & magno dolore. Græcis *δοθιὴν* dictum.

Ordea saxis fracta.]Id est molendino.

DE CARBONE.
CAP. XXXIX.

Horrēdus magis est perimit qui corpora carbo,
Vrit hic inclusus, uitalia rumpit acerbus,
Hunc ueteres quondā uarijs pepulêre medelis
Tertia nanq; Titi simul & centesima Liui
Charta docet ferro talem candente dolorem
Exactum, aut poto raporum semine pulsum,
Infecti dicens uix septem posse diebus
Vitam produci, tanta est uiolentia morbi
Dulcacidum laticemq; cumini semine iunge
Atq; fimum pariter Paphiæ compone columbæ
Hinc line diruptas partes et clausa uenena,
Præterea triti reserant & operta lupini
Nonnullus calcem uiuam dissoluit aceto
Fumantemq; niuem papulis apponit acerbis,
Est qui gallinæ perducat stercore corpus
Allia uel piperi parce commista linuntur,
Pythagoræ cognata leui condita cumino
Proderit, & madida fermentū polline turgens.

SCHOLIA,

¶ *Corpora carbo.*]Carbo uel ἄνθραξ tumor est ex humore melancholico, crasso & feruente, cum magna inflammatione & rubedine, nigredine permixta natus, unde & nomen carbo habet.

Candente

Candente ferro.] Cauterio actuali.

Paphiæq; columbæ.] Colnmbæ à Venere, sub cuius tutela credebātur, paphiæ dictæ sunt: rationē inuenies in Apotheosi mea primo libro, capite Venus.

Pythagoræ cognata.] Vsitata. Nam in delicijs ea habuit, uelut Diog. Laert. 8. libro indicat.

DE PANO, VOMICA ET STRVMA. CAP. XL.

Sunt alij quos dura mouet natura tumores
Non minus horrendi, sed non ita perniciosi
Vomica qualis erit, uel eidem proxima quædā
Simplici resina miscebimus hordea tusa
Et mulsos amnes & purgamenta columbæ
His bene decoctis languentia membra fouentur
Mollis odorato faba iungatur coriandro
Proderit appositum, mollitq; aperitq; tumorē
Aut de phasganio radix decocta palustri,
Quæ salis admisto tundetur condimento:
Proderit et māsum quod traxeris arbore uiscū
Gramen hyosciami ceræ seuoq; uetusto
Concilia, mistisq; locos perduce dolentes
Exercere etiam corpus medicina potens est
Ouum defundes in fictile, deinde putamen
Marrubij succo implebis, pòst melle liquenti
Omnia consociata tepenti prospera potu

Sumuntur

Sumuntur, referantq; malum, purgantq; leuantq;.

SCHOLIA.

¶ *De pano.*]Panus tumor est inguinis, & aliquando sub alis nascens aut in uertice, Græci φύγεθλον uocant.

Vomica qualis erit.]Vomica in altis uisceribus, pectore, iecore, liene, aut uulua collectio est, quod purulentũ euomat, dicta: Græci uomicam Empyema uocant.

Struma.]Struma notę significationis est; significat enim in gutture tumorem: Achiui χοιράδας dicunt. Hippocrates tamen in maxillis, sub alis, ac pudendis quandoq; oriri scribit, libro περὶ ἀδένων.

Purgamenta columb. Id est, fimum columbi.

De phasganio radix.] Phasganiũ herba, gladij præbet speciem, cui radice auellanæ nucis instar. Plin. lib. 25. cap. 11.

IGNI SACRO MEDENDO. CAP. XLI.

Est etiam morbi species quæ dicitur ignis,
Languida quo multo torrentur membra calore
Vel tu uicino seuum bouis igne remittis,
Mollitumq; lines, uel oloris fecibus, oua
Sed nõ cocta dabis, sic torrida membra fouebis
Lumbricus terræ misto inducetur aceto

Aut parili

Aut parili noua ruta modò, ſed iungis oliuum
Ouaq; cum betis proſunt ſæpe illita tritis,
Allia dant cinerem ſociato oleoq; garoq;
Vnguine quo gliſcens deponet flāma furorem:
Sæpe chelidoniæ pars candida iungitur oui,
Quem medico potu, ſed uili, trita capeſſes
Admiſcere memor lymphas amnemq; phalerni.

SCHOLIA.

¶ *Quæ dicitur Ignis.*] Quidam ſacrum ignē & ἐρισίπελαν, quum tamen ſacrum ignem manifeſtè diſtinguat Auicenna ab eriſipelate. Iulius pollux puſtulam rubram, ignē eſſe dicit cum dolore & magna inflammatione, & quandoque cum paruis ueſicis Sant Antoni brand/gewilck oder lauffen.

¶ *Oloris fecibus.*] Adipibus.
Garoq;.] De garo dictum eſt.
Phalerni.] Optimi uini.

PODAGRÆ DEPELLENDÆ. CAP. XLII.

Quædā ſunt rabidæ medicamina digna podagræ
Cui ter tricenas ſpecies Epidaurius ipſe
Dixit ineſſe, deus requiē tamen indere morbo
Fas erit & triſtem ſaltem mulcere dolorem,
Ergo age & arreptū ſalicis frondemq; librūq;
Cum uino tere, ſic contractos perlue neruos,

Aut cum

Aut cum prima mali sese ostentabit origo
Feruida non timidis tolera cauteria plantis
Seminecis ue hirci reserato pectore calces
Insere, sic diræ reprimes primordia pestis,
Aut si corruptus persederit altius humor
Trita cupressus ibi Baccho turgetur acerbo,
Panibus & teneris cohibebitq; addita questus
Parua sabucus item hircino callita sæuo
Triticeæq; acido manentes amne farinæ
Aut nitido ranæ decoctum uiscus oliuo
Siue chelidoniæ succus sale mistus aceto:
Sunt quibus opposita siccatur hirũdine sanguis
Non audita mihi sit fas, sed lecta referre,
Hoc quidam raptus morbo per tempora meßis
Vicimo plantas frumenti mersit aceruo
Euasitq; grauem casu medicante dolorem.

SCHOLIA,

¶ *Epidaurus deus.*]In Epidauro honestatus est Æsculapius sumptuoso tẽplo, qui hinc Epidaurius deus nominatur.

Tolera cauteria.]Id est, uesicatoria quæ humores ab intra trahant.

Insere calces.]Nudos pedes.

Persederit.]Habituatus fuerit.

Acerbo Baccho.]Id est, aceto. M. Agrippa cum hoc morbo grauiter admodum afflictus

ctus decumberet, ut amplius dolorem perpeti non posse, portentoso cuiusdam medici consilio, ignorante id diuo Augusto, in acetum calidum crura demersit, & in totum liberatus est.

Vicino quidam aceruo.] Sextus Pompeius est de quo Serenus scribit, is enim podagrico correptus dolore sese in triticum demersit, & liberatus est mirificè.

DE VVLNERIBVS FERRO AVT VERBERIBVS FACTIS. CAP. XLIII.

Naturæ uicijs medicas obiecimus artes,
Nunc & fortunæ iaculis obsistere par est,
Si cui fortè lapis teneros uiolauerit artus
Necte adipes uetulos & tritam camecisson
Nec pudeat luteæ stercus perducere porcæ,
Sin autem sæuo laceratum est uerbere corpus
Tum lixiua cinis ceras dissoluit & oua
Admistoq; oleo uibices comprimit atras,
Si uerò infrenus manat de uulnere sanguis
Purpura torretur conchili perlita succo,
Huius & atra cinis currentem detinet undam
Verrucæ quoq; defectæ frenare cruorem
Dicitur ambustus tyrio de uellere puluis
Præterea nimios reserari uulneris amnes
Peniculi cinis astringit, uel fimbria porri

Siue

Siue fimus manni cùm testis uritur oui
Et reprimit fluidos miro medicamine cursus.

SCHOLIA,

¶ *Camæcison.*]Id est, hæderã terrestrem: lege Plin. lib. 20. cap. 10. & 15. Tamen Dioscorides alteri herbæ adiecit hoc nomen libro 4. cap. 121.

Tum lixiua cinis.]Id est cinis ex quercu, uide Galen. ad Patern. cap. centesimo quadragesimosexto, & Diosc. capite quinto.

Sanguis infrenus.]Vix cohibendus.

Purpura torretur.]Purpura, piscis est ex cõcharũ genere, qui annis uiuit septenis.

Verrucæ quoq; defectæ.]Verrucæ in corporibus supereminentes, dicuntur globuli duriores, quos uulgò porros appellant.

Tyrio uellere.]Tyrium, uellus rubeum, à loco dictum.

Fimbria porri.]Radicem opinari suspicor.

Fimus manni.]Id est, Fimus equi.

VVLNERIBVS QVIBVSCVNQVE CASIBVS FACTIS. CAP. XLIIII.

Tam uaria humanæ sunt uulnera cõditionis
Vt nequeam proprias cũctis adscribere curas,
Hisdem igitur monitis casus sanabimus omnes,
Sic tamen ut nullus medicinam eluserit error:
Ergo modus quicunq; obtingit uulneris atri

Contri-

Contritus cum melle dedit medicamina bulbus,
Herbaq́; quæ folijs nomen de mille recepit,
Apposito prodest adipi permista uetusto,
Succida cum tepido nectetur lana Lyæo,
Ambustæ ue cinis complebit uulneris ora,
Concludit uerò uel frons uel ramus ab ulmo,
At succis hederæ pulchrescit fœda cicatrix.

SCHOLIA,

¶ *Folijs de mille.*] Millefolium intelligit.

HOMINIS AC SIMIÆ MORSVI CVRANDO. CAP. XLV.

Siue homo, seu similis turpissima bestia nobis
Vulnera dente dedit, uirus simul intulit atrum,
Bethonicam ex puro prodest insumere Baccho
Necnon & raphani cortex decocta medetur,
Si trita ad morsis fuerit circunlita membris.

SCHOLIA,

¶ *Siue homo*] Hominis ieiuni morsus multum uenenosus est, & difficilis curæ.

DE SERPENTVM ET VIPERINIS MORSIBVS. CAP. XLVI.

Cuspide non quisquam longè neq; cæde sarissæ,
Fulmine non gladij, uolucris nec felle sagittæ,
Quum citò uipereo potis est affligier ictu,

Quare aptã dicamus opem, succosq; medentes
Quem nocuit serpens fertur caput illius aptè
Vulneribus iungi sanat quem sauciat ipsa,
Vtq; sarissæa curatus Thelephus hasta,
Proderit & caulem cum uino haurire sabuci
Aut coctum raphani librum tritumq; ligare,
Siue etiam excelsa folium de mole cupreßi
Aut tithymallus atrox uulnus cõtrita perungit
Carduus est nondum doctis fullonibus aptus,
Ex illo radix tepido potatur in amni
Ceruino ex fœtu commista coagula uino
Sumuntur quæ res membris agit atra uenena
Aut ferulæ radix potatur in imbre Lyæi
Bethonicæ ue leues, gallinæ aut iura uetustæ:
Si uerò horrendum uulnus fera fecerit aspis,
Vrinam credunt propriam conducere potu,
Varronis fuit ista senis sententia, necnon
Plinius ut memorat, sumpti iuuat imber aceti,
Dicendum et quæ sit præcox medicina tumenti
Cautio nanq; potest diros præuertere morsus
Si iecur exectum cardo de uulture portes
Erucis, aut si totos perduxeris artus
Quas prius attritas uehementi spargis aceto,
Aut tu ceruina per noctem in pelle quiesces,
Aut genere ex ipso dentem portabis amicum:
Toxica præterea quæ sint pellenda medela
Expediam sanguis poterit prodesse caninus,

Quod

Quod facili potu antidotos imitatur honestos,
Vis & mirificos cautus perdiscere odores
Accensis quibus arcetur teterrima serpens,
Aut styracem torres, aut diri uulturis alam
Vel nepetã, aut frondẽ rigidæ stirpẽq; myricæ.

SCHOLIA,

¶ *Cede sarissæ.*] Sarissa, est hastæ Macedonicæ genus.

Curatus Telephus.] Telephus Herculis filius ab Achille uulneratus est, qui dum sanari non poterat, oraculo accepit saltem ab hasta posse sanari qua læsus fuerat. Facta igitur pace inter eum & Achillem. iterum sarissa hunc tetigit Achilles, & sanatus est.

Tythimallus.] De tythimallo Galenus octauo Simplicium, capite centesimo trigesimoseptimo. Springkrut.

Carduus nondum aptus.] Non maturus adhuc, & carduum intelligit quem Veneris aut fullonum officinæ nominant, uulgo Hirtenpfeiff / Bůben strǒl / uel Weber karten.

Ferulæ radix.] De ferula Dioscorides libro tertio capite octuagesimosecũdo, Columella libro decimotertio, cap. septimo.

Plinius ut memorat.] Libro.28. cap 6.

Imitatur honestos.] Vtiles.

Styracem torres.] Styrax, arboris malo

cotoneo similis, lachryma est. Dioscor. lib. 1. capite 70.

Nepeta] Nepeta, est herba nota, Acker müntz uel Katzen krut.

DE ICTV SCORPII ET MORSV CÆCI MVRIS VEL ARANEI. CAPVT XLVII.

Sunt minimæ species, sed diræ uulnera pestis,
Quæ magis in tenui latitantes corpore fallunt,
Scorpius & grauis est et araneus hæc mala sem
Captant securos multa tam nocte sopores, [per
Et documenta dedit nobis prostratus Orion,
Mēbra quod exiguis perimātur sæpe uenenis,
Et quum uulnus atrox incußit scorpius ardens
Continuò capitur tunc digna cæde retusus,
Vulneribusq; aptus fertur reuocare uenenum,
Aut calidis pelagi lymphis loca læsa fouentur,
Siue meri potu dissoluitur improba pestis,
Ad cunctos autem morsus, ictusq; minorum,
Caseus aptus erit simæ de lacte capellæ
Cumq; hoc absumi debebit origanus herba,
Hæc duo mirificis curabunt icta medelis,
Necnon fœniculo calidum annectetur anetum,
Aut uiuum sulphur sicca cum fece Lyæi,
Exiguo piperis cerebrum conspergito galli,
Quo lita sanescunt depulso membra dolore,

Sin autem muris nocuit uiolentia cæci,
Quæ sola signauit uoluendis orbita plaustris
Illinc, mira datur uili de puluere cura.

SCHOLIA,

¶ *Prostratus Oriõ*] Orion ex urina Iouis, Neptuni & Mercurij genitus, quòd uim Dianæ intulisset, à scorpione occisus est, & syderibus ascriptus.

Origanus herba] Nota est origanus Wolgemůt.

Sin autem muris] Araneum intelligit, cuius Plinius mentionem facit libro 8. cap. 58.

SVBITANEO DOLORI, FEBRI, ET OSTOCOPO MEDENDIS, CAP. XLVIII.

Nonnunquam existit subiti noua causa doloris,
Cuius origo latet, ueris reprimenda medelis,
Nanq; chelidoniam misto sale nectere prodest,
Velleraq; infuso recalentia sulphure sanant,
Ostocopon lento conducit melle perungi,
Sin autem calidæ depascent corpora febres,
Tunc appij succus leni sociatur oliuo,
Membra lines, fotuq; ferus mulcebitur ignis,
Nec spernēdus adeps dederit quem bestia melis,
Seminecis cerui lachrymam miscere liquori
Conuenit, atq; artus illinc mulcere calentes,
Febribus aut longis galli noua iura uetusti,

Subueniunt, etiam tremulis medicãtia membris:

SCHOLIA,

¶ *Ostocopon lento.*] Ossis dolorem quidem interpretantur.

Calidæ febres.] Galenus febrem esse dicit calorem naturalem mutatum in igneum.

Adeps melis.] Id est, taxi.

CVRA QVARTANÆ. CAP. XLIX.

Nec tu crede leuem dilato tempore febrem
Quæ spaciũ sibi dat magis ut cessando calescat
Lætali quæ grassatur quartana calore
Ni medicas adhibere manus curemus et herbas
Allia non pudeat terno cum cimice trita
Et diluta mero medijs haurire diebus,
Aut facilem iecoris murini ducere fibram
Quatuor & duri iungantur scrupula Bacchi
Mira est absinthi cum simplice potio lympha,
Sume tribus digitis apprehensum semen aneti
Tantundem marathri, mulsum nec desit aceti,
Vno sed cyatho prædicta salubriter hauris
Mœoniæ Iliados quartum suppone timenti
Aut leporis tepidi diluta coagula trade:
Prodest & potus uel mulsus Doridis humor:
Quidam etiam miranda ferunt ueniente calore
Iurantes ludum Veneris munusq; petendum,
Sed prius est oleo partus feruescere ranæ

In triuijs, illoq; artus perducere succo.

SCHOLIA,

¶ *Medijs haurire diebus.*] Intermedijs.

Quartum Mœoniæ Illiados.] Id est, Homericæ: nam patria Mœonius fuit, licet septem urbes, Gellio teste, de eius patria certauerint: sicut his uersiculis ostendit libro tertio capite undecimo,

Septem urbes certant de stirpe insignis Homeri,
Smirna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ius, Argus, Athenæ.

¶ *Doridis humor.*] Aqua marina. Nam doris quãdoq; pro mari ponitur. Vergil. Doris amara suam non intermisceat undam.

Sed prius est.] Pro, melius est.

TERTIANÆ TYPO MEDICANDO. CAP. L.

Est etiam alterna febris rediuiua diebus
Tempora discernẽs quasi iustæ pondere libræ,
Vt poßis igitur talem prohibere furorem
Inuolues cera pallentis grana cumini
Puniceæq; indes pelli, colloq; ligabis,
Pulegij ramus lanæ uelatus amictu,
Tempore suspecto medicos præbebit odores:
Præterea attritus cimex potatur in ouo
Horridus attractu, sed gustu commodus aptè.

SCHOLIA,

¶ *Indes pun. pelli.*]Id eſt, corio mali granati.

QVOTIDIANÆ TYPO MEDICANDO. CAP. LI.

At qui continuis non ceſſat adire diebus,
Sed tantùm certas morbus diſcriminat horas,
Triticeum metuit granũ (ſi credere dignũ eſt)
Quod latitans fracto fuerit ſub pane repertum,
Necnon oſſa iuuant ſeptis inuenta domorum:
Conuenit hæc tereti pendentia ſubdere collo.
Multaq; præterea uerborum monſtra ſilebo,
Nam febrem uario depelli carmine poſſe
Vana ſuperſtitio credit, tremulæq; parentes.

SCHOLIA,

¶ *Depelli carmine poſſe.*] Quantam uim habeant uerba non ſolùm contra febres, ſed etiam contra quaſcunq; moleſtias itinerũ, aquarum, incendij, hoſtium, dæmonũ, aut armorum: dilucidè rabi Hama in libro Speculationis indicat.

DE HEMITRITÆO. CAP. LII.

Mortiferum magis eſt quod græcis hemitritæũ
Vulgatur uerbis, hoc noſtra dicere lingua
Non potuêre ulli (puto) nec uoluêre parentes,
Inſcribes chartæ quod dicitur Abracadabra,
Sæpius & ſubter repetes: ſed detrahe ſummam

Et ma-

Et magis atq; magis desint elementa figuris,
Singula, quæ semper rapies, & cætera figes,
Donec in angustum redigatur litera conum:
His lino nexis collum redimire memento.
Nonnulli memorant adipem prodesse leonis,
Corallium atq; crocum corio connectito felis,
Nec dubites illis uirides miscere smaragdos,
Talia languentis conducent uincula collo
Lethalesq; abigent (miranda potentia) morbos.

SCHOLIA,

¶ *Græcis hemitritæus.*] Componi febres multipliciter constat, famosissima tamen omnium compositarum species est ἡμιτριταῖος semitertiana.

¶ *Inscribes chartæ, & detrahe.*]
Exemplum sic
pono,

a b r a c a d a b r a
a b r a c a d a b r
a b r a c a d a b
a b r a c a d a
a b r a c a d
a b r a c a
a b r a c
a b r a
a b r
a b
a

Habemus in hac noſtra Alſatia, agyrtam quendam, non uerè Necromanticum, qui hac ſuperſtitioſa dictione multos febricitantes curat: primò deglutire eos faciens dictionem integrã, iunctis de eodem foro, parum intellectis uerbis, hinc dietim ſchedulam adbreuiatã. Et ſic credulis tam fortem imprimit imaginationem, ut quoq; caſum faciat.

FRACTV-

FRACTVRIS ET LVXATIS MEMBRIS SANANDIS. CAP. XLIII.

Infandum dictu, cunctis procul absit amicis,
Sed fortuna potens omen conuertat in hostes:
Vis indigna nouo si sparserit ossa fragrore,
Conueniet cerebrũ blandi canis addere fractis
Linthea deinde superq; inductas nectere lanas,
Sæpius & succos conspergere pinguis oliui,
Bis septem credunt coalescere cuncta diebus
Aut ueteri Baccho capræ fimus inde petulcæ
Hoc aperit clausum, trahit hærês, sanat apertũ
Sin uerò caput infestus colliserit ictus
Ex oleo necti uestis debebit Arachnes:
Nesciet hæc illinc, nisi cùm sanarit, abire:
Quòd si luxa suo decedant membra tenore,
Vrere fœmineos crines, ac ungere seuum
Congruet, ac tali medicamine mota ligare,
Aut malum ex pingui tritum apposuisse iuuabit
Aut si conclusum seruauit tibia uulnus
Stercus ouis placidæ iunges adipesq; uetustos
Pandere quæ poterũt hulcus, patuloq; mederi.

SCHOLIA.

¶ *Vestis Arachnes.*] Arachne, Lydiæ puella quòd se suspendisset, per Palladem conuersa est in araneum. Ouid. transf. 6. libro.

AD NERVOS DOLENTES ET CONTRACTOS. CAP. LIIII.

Haud quisquam credet disiectos uulnere ner-
Ad solitum rursus reuocari posse uigorem [uos
Sed prodest terræ lumbricos indere tritos,
Quis uetus & ranis sociari axungia debet:
Si uerò occultus neruos dolor urit inertes,
Vulturis excisos adipes rutamq; remitte,
Aut ceram, & tali recreabis languida fotu:
Conuenit & pelagi calidis perfundier undis,
Carica, uel betis lento cum melle iugatur,
Aut Baccho madefacta Ceres cũ frõde cupreßi
Quo poteris potu recreare rigentia membra,
Sin autem subitò replicantur corpora morbo,
Cõtractos reuocat neruos caro sũpta colũbæ.

SCHOLIA.

¶ *Carica*]Id eſt ficus.
Ceres]Per metonymiam, panem ſignificat.

ÆGRIS SOMNO ADSCISCENDO. CAP. LV.

Non solùm miseros teterrima febris adurit,
Sed super optato pergit uiduare sopore,
Ne prosint placidi cœlestia munera somni:
Charta igitur uarijs quam pinxit litera uerbis,
Vritur, inde cinis calido potatur in amni,

Proderit

Proderit et magnum capiti substernere fulcrū,
Prodest & mistam lymphis potare cupressum,
Palladijs itidem succis quos flore rosarum,
Iungis, & immisces madidū tritumq; papauer,
Quo lita frons facilem præbebit nocte quietem
Necnon mādragoræ gustu sopor additur altus,
Dilue præterea glomeramina, quæ gerit intus,
Clausa aries inter geminæ coxendicis umbras,
Inde soporati ducentur gutture potus.

SCHOLIA,

¶ *Fulcrum.*] Puluinar.

Palladijs succis] Idest oliuarum oleo.

Necnon mandragoræ] Mandragora, radix est bifurcata, hominis pedes referens, & non in hominis figuram delineata, ut radi cularij circūforanei mentiuntur: de quorū uano cōmento, in nostris Succisiuis lectio nibus tertio dialogo satis ostendimus: de hac Gale. 7. simp. cap. 92. Diosco. 4. cap. 74. Somniculosos mādragoram bibisse, pro- uerbio dicimus: admodum est somnifera.

Glomeramina quæ gerit intus] An renes arie- tis intelligat, non liquidò patet.

LÆTARGO EXPELLENDO. CAPVT LVI.

Diximus hanc sortem miseris mortalibus esse,
Vt sint sæpe mala inter se contraria morbi,
Deniq; nonnūquam somno sic mēbra grauātur

Vt con-

Vt coniungatur læto sopor altus acerbo,
Ergo leui flamma torrentur cornua capræ,
Quo nidore grauem depellent lumina somnum,
Aut Veneris labrũ quæ dicitur herba, bibetur,
Quæ teritur prius & uino confusa liquescit,
Conueniunt acidis euphorbia mista fluentis,
Gramina uel rutæ gemina si nare trahuntur,
Quidam dira iubent septeno cimice trito,
Vt uicientur aquæ, cyathusq; bibatur eorum,
Hæc potiora putant, quàm dulci morte perire,

SCHOLIA,

¶ Lethargus morbus ab obliuione omnium rerum dictus est, cùm dormiendi inexpugnabili necessitate.

¶ *Aut ueneris labrum.*] Huius herbæ Plinius meminit libro 30. cap. 3. & Aegineta.

¶ *Conueniunt euphorbia.*] Euphorbium gummi notum, est quod latinè bonũ formidari uidetur significare, propter suam uiolẽtiam, de hoc Diosc. lib. 3. cap. 88. Pli. lib. 25. 7. Serap. cap. 353.

DE COMITIALI MORBO. CAPVT LVII.

Est subiti species morbi, cui nomen ab illo est,
Quod fieri nobis suffragia iusta recusant,

Sæpe

Sæpe etenim membris acri languore caducis,
Consilium populi labes horrenda diremit,
Ipse deus memorat dubiæ per tempora lunæ,
Conceptum, talis quem sæpe ruina profudit,
Prodest eum ueteri Baccho fel uulturis ampli,
Sed cochlear plenum gustu tibi sufficit uno,
Aut cruor ex Progne mistus cum polline thuris
Aut apium elixum, aut conditum melle fel agni,
Marrubium'ue pari confusum pondere mellis,
Cuius terna dabis gustu cochlearia in uno,
Aptus mustellæ cinis & hirundinis una,
Præterea pluuias hominis quas calua supino
Excipit proiecta sinu consumere prodest,
Aut lapis ex nido uaga quem congeßit hirũdo,
Vellitur, & nexu fouet attolitq; iacentem,
Pellitur, ut fama est, gustu quoq; languor aneti.

SCHOLIA,

¶ *Suffragia recusant*] Comitialis morbus sic dictus est, quòd candidati, in terram (sicut autor quoq; innuit) cadere solebãt, si turpem repulsam passi forent: unde quidã caducum quoq; dixerũt, & hieranoson, quasi sacrum morbum: eo quòd sacram corporis partem obtineat: uel comessalem, quia comessationes & crapulæ, ut plurimùm, sunt eius causæ.

¶ *Per tempora dubiæ lunæ*] Vnde morbus quo

què lūnaticus uocatur, quia pro lunæ curſu mouetur.

Deus memorat.] Æſculapium intellexiſſe arbitror.

Cruor ex Progne] Id eſt hirundine. Progne enim Pandeonis regis Athenięſis filia, Terei uxor, in hanc auem eſt mutata: uide Ouidium.

Calua ſupino ſinu] Prodeſt aqua in caluam mortui hominis excepta.

Congeſsit hirundo.] De lapide chelidonio multa reperiuntur in mea Dactylotheca, cap. 14.

DE REGIO MORBO.
CAP. LVIII.

Regius eſt uerò ſignatus nomine morbus,
Molliter hic quoniam celſa curatur in aula,
Hinc rubia ex multa fertur conducere lympha;
Allia trita dabis uino madefacta calenti,
Vellera cum uino ſuffiri ſulphure prodeſt.

SCHOLIA,

¶ *Signatus nomine*] Arculanus, ab icteri aue, quæ croceam colorem habet, dictum ait hūc morbum: unde Plinius, icteris inquit auis eſt, quam ſi ictericus inſpiciat, ſanatur, & auis moritur: libro 30. cap. 11. Gāl ſucht.

INFANTIBVS DENTIENTIB. ET STRIGE CVRANDIS. CAP. LIX.

Nudum hominē primū mater natura profundit
Insuper excruciat, niueis cum dentibus armat,
Collo igitur molli dentes nectentur equini,
Qui primi fuerint pullo crescente caduci,
Aut teneris cerebrum gingiuis illine porci,
Aut leporis niueum bibitur cum lacte caprino:
Præterea si fortè premit Strix atra puellos,
Virosa immulgens exertis hubera labris,
Allia præcepit Titini sententia Vecti,
Qui ueteri claras expreßit more togatas.

SCHOLIA.

¶ *Atra strix*] Strix, hoc loco maleficam mulierem significat, quæ noctu sanguinem infantium sugendo exhauriat.

Titini sententia Vecti.] Vecti, pro Vectij positum arbitror. Nam Plin. lib. 29. cap. 1. Vectij alicuius eloquentiæ affectatoris meminit, qui Claudij Cæsaris adulterio nobilitatus sit.

Claras togatas.] Claras matronas.

DE IGNE COMBVSTIS ET FRIGORE LÆSIS.

CAP. LX.

Sunt diuersa quidem mala frigoris atq; caloris,
Sed tamen amborum simili nocet ulcere uirus,
Illa quoq; usta putes quæ sunt niuæ læsa rigẽte,
Conuersa in cinerem platani pila curat utrũq;,
At uerò ambustum flammis qui candidus oui
Succus inest, penna inductus sanare ualebit,
Aut in succosa cinerem perducito lanæ,
Aut uiuam ex oleo ueteri componito calcem:
Ordea uel franges atq; oui candida iunges,
Adsit adeps porcæ, mira est nam forma medelæ,
Iunge chelidonas, ac sic line uulnera succis,
Quodq; recens ussit glacies axungia simplex
Mulcet, & ex facili grata est medicamine cura.

SCHOLIA,

¶ *Pila platani.*] Baccas intelligo, quas rubeas habet aut subcitrinas.

VENENIS PROHIBENDIS.

CAP. LXI.

Vt tutus fias infestæ fraude nouercæ
Vel quicunq; tuo carpitur liuidus auctu,
Non expectatis eat obuia cura uenenis,
Ante cibos igitur iuglandis fœtus edatur,
Produnt electri uariantia pocula uirus,

Præterea

Præterea coctæ querno cum cortice lymphæ,
Conueniunt potu demersá ue ficus oliuo,
Sæpe etiam raphanũ prædixit numen edendũ:
Antidotus uerò multis Mithridatica fertur,
Consociata modis, sed Magnus scrinia regis
Cùm raperet uictor, uilem deprehendit in illis
Synthesin, & uulgata satis medicamina risit,
Bis denum rutæ folium, satis & breue granum.
Iuglandesq; duas, terno cum corpore ficus,
Hæc oriente die parco conspersa Lyæo
Sumebat, metuens, dederat quæ pocula mater.

SCHOLIA,

¶ *Non expectatis uenenis.*] Id est, cura utere præseruatiua.

Pocula electri.] Id est electrũ, quod est succinum, potum uenena manifestat: de electro Dios. lib. 1. cap. 134. Auic. lib. 2. cap. 351. Gale. 7. simp. cap. 21.

Cum caperet uictor.] Pōpeius cũ Romanis.

Synthesin uilem.] Id est, appositionem nutrimenti in membra.

Medicamine risit.] Nam cùm Mithridates rex Ponti, à Magno Pompeio & Romanis obsessus erat, desperãs, uxori & liberis uenenum tribuisset potandũ: medicaminis beneficio, rex, uxor & liberi indemnes conseruati sunt: unde cuidam Gallo rex gladium dedit, quo se necaret, ne in hostium

manus ueniret: qui risum mouit. De hoc Mithridate Plinius lib.25.cap.2.

VENENIS DATIS EXPELLENDIS. CAP. LXII.

Si nequit infandum præuertere cautio uirus,
Proximus ille gradus data pocula pellere cura,
Lac asinæ placidæq; bouis prodesse loquuntur,
Betonicam ex paruo sumunt plerique Lyæo,
Quòd si hederæ succos, quæ trũcos implicat al-
Instilles pateris, poterunt haud ulla nocere [tos
Pocula, quæ quisquam sæuis uitiauerit herbis,
Si quis hyosciamum gustarit, lacte capellæ
Exhausto, rapidos poterit mulcere furores.

SCHOLIA,

¶ *Truncos implicat.*] Hederam muralem intelligit.

VVLNERIBVS CVRANDIS. CAP. LIII.

Vulnera tabescunt spatio uitiata dierum
Curaq; nil prodest, nec ducitur ulla cicatrix,
Sed tamen herbarum tam mira potentia pollet,
Vlceris annosi sinus ut coalescere poßit,
Marrubium si tu recoquas illoq; liquore
Vulnus atrox foueas, cineres uel hirundinis altæ
Inducas, leporis'ue aspersa coagula uino,
Aut hederam Baccho decoctam & semen aneti
Aut cineres alni tardo cum melle ligentur,

Lumbrici.

Lumbrici terræ poterunt conducere uulnus,
Aut facilis laphati coma latiòr ulcera purgat,
Et commistus adeps, sed nonnullo sale tactus,
Pinea præterea uitio cum sulphure cortex
Et pice cũ spissa iam perdita membra reponit.

SCHOLIA,

¶ *Vlla cicatrix.*] Id est, epidermis.
Marrubium.] Id est, prassium. Andorn.
Altæ hirundinis.] In altum nidificantis.
Facilis laphati.] De laphato dictum est & plura habentur in Macro, quem Scholijs illustrauimus.

VERRVCIS TOLLENDIS. CAP. LXIIII.

Interdum existit turpi uerruca papilla,
Hinc quondam Fabio uerũ cognomen adhæsit,
Qui solus patriæ cunctando restituit rem,
Id poterit uitium sanguis curare lacertæ,
Aut urina canis cum terra inducta madenti,
Aut herbæ succus quæ fertur nomine Lathris
Et tythimallus item tali satis apta medelæ,
Si rupta immensos fundit uerruca cruores,
Purpureo triti cineres de uellere prosunt,
Quod fuerit uero conchyli sanguine tinctum.

SCHOLIA,

¶ *Fabio.*] Fabium Cunctatorem intelligit.
¶ *Qui solus patriæ.*] Citatur & hic uersus

apud Ciceronẽ in Catone maiore, in hunc modum ex Ennianis ſcriptis: item apud Maronem ſexto Æneid.

Vnus qui nobis cunctando reſtituit rem.] Ambobus ſuffragatur Plinius, lib. 22. cap. 5.

Lathris.] Herbam lactucæ folijs, Pli. ſcribit, lib. 27. cap. 11.

Purpureo iuui.] De purpura.

Conchyli ſanguine.] De murice.

HÆMORRHOIDIS MEDENDIS. CAP. LXV.

Excutiant turpes anum ſi fortè papillæ,
Agreſtis radix prodeſt ſuperaddita porri,
Ne uiolet, ſanat iuglandis fragmine clauſa
Sal niueum ſumes, Bethicũ quod nomine dicũt,
Dulcia cumq; nigra iunges fuligine mella,
Apponesq; ſuper, pellit medicina dolorem.

SCHOLIA,

¶ *Si fortè papillæ.*] Id eſt, condylomata.

Sal Bethicum.] Ego ſal nitri intelligo, ut ſal bethicum in lingua Germana uocabulum ſit corruptum Salbeter.

FINIS.

OMNIVM QVÆ IN SCHOLIIS NOSTRIS ET IN TEXTV THEODORICI ET Q. SERENI HABENTVR, FRVCTVOSVS INDEX.

INDEX ALPHABETICVS.

Cauteria

Lentigo

Ramex

INDICIS FINIS.

BASILEÆ, PER
HEHRICHVM PETRI
ANNO DOMINI M.D.LIX,
MENSE AVGVSTO.

